Supp 59425/B Vol. 5
HALLER, A von
vol 5



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30527909_0005

EPISTOLARUM
AB
ERUDITIS VIRIS
AD
ALB. HALLERUM
SCRIPTARUM
PARS I.

Latinæ.

VOL. V.

EPISTOLÆ 133. ad 277.
SCRIPTÆ AB ANNO MDCCLXI.
AD ANNUM MDCCLXVIII.

BERNÆ.
Sumptibus Societatis Typographicæ.
1774.

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

331569

LECTURIS S.

HALLERUS.

Ad hoc volumen idem ſemper eſt quod moneam, nimia nempe repeti encomia, quæ delere neglexi morbo oppreſſus, & temporis penuria. Epiſtolas etiam alias aliis majoris eſſe momenti fateor, & nonnullas illuſtrium alioquin virorum, paulo minus propriis

 adno-

adnotationibus divites. In aliis erat, quæ, dum legeret doleret aliquis, ea, quantum potui, delevi. Anno 1764. Rupe diſceſſi, & Bernam repetii. Unicum quod ſupereſt volumen latinarum epiſtolarum finem faciet. D. d. 13. Jun. 1774.

EPI-

EPISTOLARUM
TABULA.

GOTTLIEB EMANUEL HALLER. Ep. 133. 134. 136. 137. 138. 143. 145. 150. 151. 159.

WERNER LA CHENAL. Ep. 135. 140. 147. 157. 203. 238. 248. 250. 251. 258. 260. 263. 267. 269. 272. 277.

EM. BERDOT, Fil. Ep. 139. 161. 193. 238.

J. B MORGAGNUS † Ep. 141. 154. 165. 190. 206. 245.

M. L. A. CALDANUS. Ep. 142. 146. 148. 149. 153. 155. 160. 166. 167. 173. 176. 178. 179. 180. 181. 183. 186. 191. 196. 202. 208. 209. 214. 215. 216. 218. 220. 226. 231. 239. 246. 268.

ACHILLES MIEG. Ep. 144. 165. 171. 182. 188. 192. 197. 198. 205. 223. 235.

DOMINICUS COTUNNIUS. Ep. 152. 169. 187.

J. GESNER. Ep. 156. 158. 172. 175. 194. 195. 199. 212. 232. 234. 254. 255.

C. G. LUDWIG. † Ep. 162. 204. 221. 224. 237.

NIC. ROSEN. † Ep. 164. 201.

JANUS PLANCUS. Ep. 168. 174. 189. 217. 221. 230. 236. 240. 242.

CASP. FRID. WOLF. Ep. 170. 225. 229. 241. 253. 265.

J. TARGIONIUS TOZZETTIUS. Ep. 177.

FELIX FONTANA. Ep. 184. 210.

THOMAS LAGHIUS. † Ep. 185.

* MICH. SARCONE, *Medicus Neapolitanus*, Ep. 200. 257.

* EGNATIUS MONTIUS, *Medicus Garban.* Ep. 201.

* BALTHASAR COLLINUS & ALEXAND. BICHIERAGIUS, *Medici Florentini*, Ep. 211.

DAV. CHRISTOPH SCHOBINGER. Ep. 213.

* ANTONIUS MATANUS, *Prof. Piſanus*, Ep. 219.

ANT. CAPDEVILLA, *Medicus Tovarranus*, Ep. 227. 273.

* RAIMUNDUS COCCHIUS, ANTONII Fil. Ep. 228. 243.

* J. FRID. LOBSTEIN, *Prof. Argentinenſis*, Ep. 233.

LUD. PALLIANI. Ep. 244.

* OTTO FRID. MULLER, *Norvegic. Archivar. Cuſtos*, Ep. 247.

* FRANCISCUS della GUTTA & CAMILLUS CORONA, *Medici Romani.* Ep. 249.

JACO-

TABULA.

* JACOBUS DICK, V. D. M. Ep. 252. 259. 261. 262. 264.

* BARTHOL. ALPHONS. PANZOLDUS, *Medicus Bolſanenſis.* Ep. 256.

* HORATIUS BEN. DE SAUSSURE, *Profeſſor Genevenſis.* Ep. 266.

* PETRUS JON. BERGIUS, *Medicus Suecus.* Ep. 270. 274.

* ANT. DE HAEN, *Archiater Vindobonenſis.* Ep. 272. 275.

* NICOLAUS BARTOCCINI, *Medicus Senenſis Hetruſcus.* Ep. 276.

133.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Tardius verum eſt ad gratiſſimas tuas litteras reſpondiſſem, niſi novum a Te beneficium in me redundaſſet. Academiæ nempe ſcientiarum Pariſinæ placuit me immeritum iis adſcribere, quibus cum ipſi eſt litterarum commercium. Honor iſte mihi nudius tertius decretus fuit, quem Tibi unice debeo. Gaudeo hoc titulo uti, quod liber mihi jam ſit ad Academiæ conventum aditus, & diarium de menſe in menſem accipies de rebus in Academia actis, ut pateat, me ſedulo adfuiſſe. Quæ porro mihi dederunt Pariſini Tibi reddenda, die 23. Decembr. ut ſcripſi Bernam miſi, Thierrium ut quæ haberet adderet, compellavi, ſed negavit ſe quidquam habere Tibi mittendum. Quæ de Phyſiologia addis ita exequar, ut exemplaria ipſe a Davidio petam, nominibusque quibus inſcripſiſti reddam. Gratiſſimæ certe erunt his eruditiſſimis viris ſtrenæ.

Thierrio optimo meo & fido amico maxima & inſignis lis eſt cum quodam Des Caunets, vel potius Bordeu, hujus enim inſtigatione prior contra Thierrium vehementem & injurioſum libellum ſcripſit, occaſione thermarum de Bagneres &

de Barège. Cum Senacus inſignis Bordevii amicus ſit, conſuluerunt amici Thierrio, ne reſponſum daret, tum ob adverſarii characterem, tum etiam quod Sennacus adverſario faveat; & credo Thierrium noſtris conſiliis obſequuturum. Nova ceterum litteraria habeo nulla, negant librarii ſe quidquam novi habere circa rem medicam, ſed magis adhuc inquiram, ut tempeſtive ſatis tua mandata accipere poſſim. Vale Parens optime cum dulciſſima matre mihique fave.

Dabam Lutetiis die 12. Jan. 1761.

134.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Cum in nuperis litteris me in correſpondentem (hanc enim adhiberi juſſit Academia vocem) electum eſſe nuntiaverim, oblitus ſum addere, hanc electionem unanimiter peractam fuiſſe, & Bernhardum de Juſſieu mihi datum, cum quo litterarum habeam commercium. Expertus vero & hac vice ſum humanam viciſſitudinem, perdidi enim die 9. Jan. (quod quarto inde die tantum didici) inſignem ſtudiorum meorum fautorem Abbatem de Sallier, Bibliothecarium regium, & Academiæ artium liberalium, ut & gallicæ ſodalem. Summo illuſtris hic vir me proſequebatur amore, qui ipſi imprimis erga exteros familiaris non erat. Felicem vero me æſtimare debeo,

beo, parem mihi eſſe fautorem Caperonnierium; alterum Bibliothecarium, ita ut laborum meorum curſus inde interrumpi non poſſit. Corraſi jam ex plurimis manuſcriptis oratorum Gallicorum res in Helvetia geſtas continentibus paginas ultra 500. & magna mihi adhuc ſupereſt meſſis, ut, ſi liceret per decennium Lutetiis degere, labor jucundus & utilis mihi nunquam deforet.

Nuper adhuc juſſu Ill. Conſiliarii de Bonſtetten, deſcripſi librum de cremo Helvetiorum agentem, cujus autor fuit Albertus de Bonſtetten, Decanus quondam Einſidlenſis. Opus erat 122. paginar. in 4. intra triduum abſolutum. Tenonius celeberrimus Chirurgus & Academiæ ſcientiarum Sodalis, qui Te ſummo ut omnes boni proſequitur honore, tradidit de Cataracta diſſertationem, ubi novum inſtrumentum ad illam depellendam explicat, neque dubito Te ex hoc ungue leonem judicaturum. Mairanius, Thierrius innumerive alii Te iterum iterumve ſalutant.

Die 12. Januarii adſtiti publico Academiæ gallicæ conventui, occaſione utens receptionis Dni. de la Condamine, nam niſi in his circumſtantiis liber non patet aditus. Oratio ejus pulchra & eloquens, ſumma acclamatione excepta, nec minus breve ſed elegantiſſimum Buffonii reſponſum. Condaminius virtutes prædeceſſoris ſui Epiſcopi Rhemenſis de Vaureal nitide expoſuit, ſal quoddam atticum amœniter immiſcens. Inde præmium eloquentiæ Marmontelio adjudicatum, cui

 olim

olim mercurii gallici directio incumbebat. Poëma ipſius ſane fuit ex pulcherrimis, lectio ejusdem quovis momento auditorii acclamationibus interrupta repetitis & continuatis. Dabit idem proſaicam verſionem gallicam Pharſalicorum Lucani, legi primum cantum, & ſane verſio fidelis & pulcherrima. Glorioſum certe Poëtæ præſenti in numeroſiſſimo & ampliſſimo conventu coronari. Aderant Dux de St. Aignan, Dux de Nivernois, Mareſcallus de Belleisle, Princeps Gallizin, Papæ Nuncius, Cardinalis de Luynes, innumerique alii utriusque ſexus.

Watteletius proxime recipietur, & conabor & huic orationi adeſſe. Succedent aliorum ob Sallierii mortem, & Abbatis de St. Cyr & Abbatis du Resnel inſtantem mortem, mox tria nova membra eligentur.

Adſui die 14. Jan. Academiæ ſcientiar. conventui. Exhibebat initio Ernaudius puerum decem annorum, ſurdum & mutum natum, quem intra 25. menſium ſpatium ſatis bene loqui, imo & ſcribere & calculos facere docuit. Dein dies Mercurii proximus conſtitutus ad eligendum novum membrum honorarium loco Morani de Sechelles demortui. Schefferii dein litteræ lectæ, qui longitudinem maris ſe inveniſſe credit, d'Alembertus, la Fontaine & Maraldi Commiſſarii ad hoc electi. Lectus Equitis d'Arcy liber, experimenta exhibens circa pulveris exploſionem, ita ut ſcopo 25. toiſes pulvis ſolus triplici doſi bom-

bardæ

bardæ intruſus eundem producat in muros effectum, quem alia cum plumbo (boulet).

Charteretii pulvis examinatus a Hellotio, Magneſiam albam eſſe & ſal epſomenſe docet Hellotius, an vero cuprum inſit, Academia noluit determinare, cum de eo coram judice civili lis ſit. Rouilleo in agone exiſtente Commiſſarii miſſi Hellotius & Vaucanſonius, ut de ejus valetudine Academiæ referrent.

Dab. Lutetiis die 16. Jan. 1761.

135.

W. DE LA CHENAL.

Gratiſſimæ heri advenerunt plantæ tuæ. Pulcherrimæ ſunt haud paucæ mihique nondum viſæ, qualis vero ſit, cujus numeros citas, catalogus, ignoro, ut collectioni meæ has ſtirpes inſerere nondum poſſim. Plures quidem ex emendationibus, aliquas ex litteris tuis eruo, ſed haud paucæ reſtant, præcipue ex graminibus, mihi abſque nomine haud determinandæ. Tithymalum a J. Bauhino circa Haltingen lectum vulgatiſſimum nobis in agris trans Rhenum nunc ex ſpecimine tuo transmiſſo video a Paralio haud differre. Deſcriptio tamen Paralii, qualis in Enum. Helv. extat, noſtro haud bene convenit, & potius ad noſtrum retuliſſem Tithymalum foliis linearibus obtuſis, petalis emarginatis Enum. Gœtt. 35. ob folia minus firma, latiora &c. Etiam Car-

 duum

duum noſtrum tataricum inter tuas inveni, & Orchidem luteam mihi incognitam, niſi, quod ſuſpicor, eſt Orchis palmata lutea floris labio maculato Seguierii. Orchis præcox alba barba luteola gratiſſima mihi fuit. Ex Orchidum claſſi paucioribus deſtituor, Epipactide 8. 9. 10. 14. Ex Orchide unica 20.

Faſciculum meum ſtirpium, Vir Illuſtriſſime! Te accepiſſe ſpero. Theſii ſpecies in M. Generoſo a me lectæ videor mihi iconem reperiiſſe in Zanon nov. edit. Tab. 34. f. 2. licet Montius ad vulgarem ſpeciem referat, a quo utique differt. Carici in ſummo Speluga nobis reperto apprime quadrat nomen Caricis (Brizoidis) ſpica compoſita diſticha, nuda, ſpiculis androgynis, nudis, contiguis, patentibus, culmo nudo Linn. Syſt. Nat. p. 1262.

Pimpinellam tuam tenuifoliam, Vir Illuſtriſſime! circa Agaunum lectam nondum audeo conjungere cum ea, quæ hic vulgatiſſima eſt. Involucri partialis foliola in tuis ſpeciminibus duplo fere longiora ac in noſtris, & membranaceis oris albicantibus, quod in noſtrate minime obtinet. Addo flores albiſſimos in tuis, foliola breviora, vaginarum ora perinde albicantia, ac involucri, & in habitu diſcrimen oculis facile patens licet vix deſcribendum, an varietas ſaltem?

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Dabam Montbelgardi die 16. Jan. 1761.

136.

136.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Novas incipio litteras, inſcius quando illas ad finem perducam, memor enim ſum eorum quæ de ſcribendi ſolertia mihi juſſiſti, etſi non ſine ſummo dolore & illo gaudio orbus reddar Tecum per litteras colloquendi, cum oretenus id neget diſtantia locorum. Tradidit Morandius ſecundum Tomum Phyſiologiæ Academiæ inſcriptum, atque primum Tomum efflagitat, quem & ille & Malouinius quocum de hac re locutus ſum, accepiſſe negant. D'Arnæus indicabit facile Librarium Pariſienſem, ubi haberi poſſit Tomus ille, ut eo facilius & citius, tria (cum tertium advenerit) exhibere poſſim Academiæ, volumina. Aliquam jam colligo meſſem, Tibi mittendam, cum occaſio ſe exhibebit, en quæ mihi dono data fuere ut Tibi reddantur. A Dn. Hamelio humaniſſimo viro habes ſextum Tomum de Cultura terræ noviſſime impreſſum. A Condaminio ſingulari viro, inoculationi & Jeſuitis ad ridiculum uſque dedito, accipies orationem, quam pronunciavit, cum in Academiam gallicam reciperetur, cum Buffonii elegantiſſimo reſponſo. A Morandio, viro nimis ſibi indulgenti, perquam glorioſo, inſigni vero meo fautore habes Catalogue des pieces d'anatomie, inſtrumens, machines &c. qui compoſent l'Arſenal de Chirurgie formé à Paris pour la Chancellerie de Medicine de Petersbourg 1759. A Ferreinio Coſtii Diſſ. 22. Jan. 1761.

 habitam,

habitam, an retina primarium viſionis organum. A Tenonio optimo meo amico Diſſ. de Cataracta cum novo illam pellendi inſtrumento.

Academia regia Chirurgorum in programmate, cujus ſex exemplaria dedit Morandius, præmium A°. 1762. exhibere promittit illi, qui déterminera la meilleure maniere d'ouvrir les abſcès, & leur traitement methodique, ſuivant les differentes parties du corps.

Morandii quoque auſpiciis vidi l'hôtel des Invalides, pauca de illo dicam ædificio, quod ipſe vidiſti. Parca ejus cura habetur, feneſtræ a ventis undique perflantur, & tales, ut quod nuper accidit, miſeri ex illis cadant & pereant. Ædificium præ ægrotis peſſime habetur, ut vix greſſum facere audeas abſque cadendi metu: ægroti ſatis bene curantur, ſed præcellit Bernenſium noſodochium. Paucis dicam. Pulcherrima de inſtitutis . . , dicuntur, quæ, quum ipſe inſpicis, miſera ſunt, & avaritiæ hominum expoſita.

Jam ea quæ me præſente in Academia ſcientiarum acta fuere enarrabo. Præmittam mira quædam, ſed veriſſima. Summam, non nego, adepta eſt hæc Academia gloriam, tum apud exteros, tum in Gallia; cui vero aditus ipſe patet, ſtupet de ea, quæ in conventibus regnat, confuſione, miratur vehementiam quorundam, qui quovis momento lectorem interrumpunt, ut ipſi animoſis verbis & geſtis vel minus bonam phraſin,

ſin; vel pejorem pronuntiationem exprobrent, raro facta aggrediuntur, vel ſolidi quid. Quævis claſſis ſuos habet ſycophantas, imprimis in claſſe mathematica, eſt homo . . . . . violentiſſimus. In Anatomicorum claſſe (neſcio an dicere audeam) . . . eum imitantur, ita tamen, ut minori utantur vivacitate. Poſſem characterem ſingulorum ſociorum exponere, malo vero id poſt reditum meum facere, ne forſan interceptæ litteræ negotium mihi faceſſent odioſum. Id tantum addam, res in ſtatu exteriori noſtrorum multo majori dignitate tractari, quam in illuſtriſſima ſcientiarum Academia.

Die 17. *Januarii.* Cum de la Sonius Conſiliarii regii titulum obtinuerit, Nolletio in mandatis datum, ut eum certiorem faciat gaudii Academiæ.

Legi inde brevem de puerpera illa novenni obſervationem, ſed cum pronunciatio gallica a germanica diverſa ſit, Abbas de la Caille benigne voluit provinciam ſuſcipere, obſervationem latinam meam legendi. Academia hanc obſerv. rariſſimam judicavit, & juſſit ut in tomo obſerv. Academiæ inſeratur, & publicæ lucis fiat.

Lectus inde appendix diſſ. Dni. du Tour tomo III. Operum eruditor. exter. inſertæ circa viſum obſervationem continens. Ampla fuit diſſertatio, & lectio ejus die 21. & 24. continuata. Variis obſervationibus affirmat binos oculos idem objectum unâ figere.

La Condaminius propoſuit Academiæ, ut le Sagius Genevenſis ob ſuam in mathematicis & aſtronomicis rebus peritiam Correſpondentium numero adſcribatur. Poſt multas & vehementes rixas Commiſſarii dati d'Alembert & la Lande.

Du Hamelius inde ad eundem ſcopum propoſuit Mullerum Academiæ Petropolitanæ Secretarium. Commiſſarii dati Clairaut & la Caille.

Die 19. *Januarii* Academiæ gallicæ conventui adſui. Watteletius receptus, ſed oratio ejus minus bene excepta. Buffonii vero reſponſio pulcherrima & ſummo cum applauſu excepta. D'Alembertius inde diff. legit de methodo hiſtoriam tractandi, cui ſalſos lepores inſperſit, invita ſæpe Minerva. Finem conſeſſui impoſuit Watteletius, qui ſpecimen verſionis gallicæ Taſſii legit, peſſime exceptum, ita ut plurimus auditorum numerus ſecederet.

Die 21. *Januarii* Academia ſcientiarum du Hamelio & de Parcieux provinciam impoſuit, ut acuficium (Epinglier) deſcriberent.

Hellotius libram anglicam de Troy cum ſuis ſubdiviſionibus, & marcam cum ſuis partitionibus dono dedit Academiæ, quæ juſſit aliud exemplar confici, ut Hellotii donum vitro incluſum, non dimoveatur.

Cum in D. de Selles, Bibliotheca exactiſſima libra (balance) vendenda ſit, Academia illam emendam juſſit.

Dn.

Dn. de Montmirail le Tellier Honorarius Academiæ electus. En modum eligendi. Quivis Aſſeſſorum nomen chartæ imponit peculiari ejus quem eligere vult, illamque chartam quovis modo voluerit claudit. Secretarius has ſchedulas colligit. Secedit ille in aliam cameram, cum Directoribus, Theſaurario, Bibliothecario & una ſorte eligendo, qui Evangeliſta dicitur. His præſentibus ſchedulæ aperiuntur, vident cui pluralitas votorum faveat. Nomen referunt Academiæ & abſque alio ſcrutamine ille electus cenſetur, votis & nominibus competitorum omnino ſuppreſſis.

Bourdelinius amplo ſcripto ſententiam pharmacopolæ cujusdam Pariſienſis examinavit de cryſtalliſatione ſatis tartari vitriolati, & an illud acido excedente (acide excedent) capax ſit.

La Tour fungum miſit quem ſingularem credidit, eſt vero ſimplex fungus pileatus cum criſta gallinaceis ſimili.

Die Januarii 24. Nolletius Abbas diarium legit noviſſimarum Veſuvii eruptionum; quæ pridie Nativitatis Chriſti accidit. Ortum ſumſit non ex apice, ſed 4. vel 5. leucas italicas infra illum, verſus turrem grajam.

Lava maxima, quæ uſque ad $\frac{1}{2}$ leucam a mare profluit & viam verſus Apuliam (la Pouille) occupavit, lata fuit $\frac{1}{2}$ leucæ, profunda 15. ad 25. *pedes*, quorum ſingulus 8. pollices efficit. Juncta

cta fuit eruptio terræ motubus & ſtrepitu Neapolin uſque audito.

Condaminius legit epiſtolam Dni. de Rhedern Berolinenſis contra Comitis Roncallii de inoculatione ſiniſtram ſententiam, ut & epiſtolam Doctoris cujusdam à Aix en Provence, de ſucceſſubus ſatis mediocribus inoculationis in iſta urbe; Mairanius & de la Lande dati, ut ſcripta hæcce examinarent.

Nolletius & la Caille examinatores ſcripti Dni. du Tour, de quo ſupra, electi. De la Lande incepit legere ſcriptum de inegalitate Martis ab actione terræ producta.

Dabam Lutetiis die 28. Januarii 1761.

Neglexiſſem fere addere, Stephanum Hales die 2. Boſcawium die 10. & Mareſcallum de Belleisle die 26. Januarii obiiſſe. Haleſius Membr. Acad. Scient. quidem eſt, ſed non eligetur quisquam in ejus locum, cum Maclesfieldius numerum excedat.

137.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Die 28. *Januarii.* Ernaudius, de quo jam olim ſcripſi, legit diſſ. de ſurdis & mutis, ſummo cum applauſu exceptam, & ab omnibus magno cum ſilentio, quod rariſſimum eſt, auditam. Cauſas poſte-

poſterioris mali inprimis exponit, organorum defectus rariſſimos eſſe cenſet, nec frequentiores mutos ab imbecillitate dari autumat; frequentius malum in minima ſurditate congenita eſſe credit; methodum quoque exponit, huic malo obveniendi.

Exhibitum opus Principis cujusdam Haſſiæ obſervationes aſtronomicas exhibens, ante ducentos annos ſcriptum, cujus apographum fieri Academia juſſit.

Zabaja, machiniſta romanus, molendini a ventis agitandi novam methodum expoſuit velis quatuor præditi; parum probatum opus, a de Parcieux & Bezoutio examinandum.

Ars candelarum a du Hamelio conſcripta & diſtributa, cujus exemplar mihi datum Tibi mittam.

Petrificata varia curioſa a Bacheletio, Presbytero St. Immer prope Lizieux Academiæ dono data. Sunt corpora marina maximam partem ignota, & exhibent ſeriem continuam ad formandum ſyſtema circa ſilicum originem, inprimis circa madreporarum & ficuum in ſilices mutationem. Fougerou & Briſſon catalogum conficient.

Bacheletius a du Hamelio ut Correſpondens fiat, commendatur. Juſſievius, Fougerou & Briſſon Commiſſarii electi.

Vogelii Göttingenſis diſſ. a Macquerio lecta circa præparationem & proprietates nitri quadrangularis.

Die

Die 4. Februarii. Diſſ. Dni. de Luc Geneven-ſis a de la Lande lecta, de echinita quodam rariori, in montibus de Cret provinciæ Kent in Anglia reperto. Silici pars ſuperior innata, reliquum ſilicibus immiſtum. Juſſievius & Briſſon Commiſſarii dati.

De l'Islius penſionarius *veteranus* electus, qui prius tantum *Aſſocié veteran* fuit.

Diſſ. Dni. de Rhedern ratio (*rapport*) reddita, probat Regem Boruſſorum, ſi ipſi ob negotiorum molem licuiſſet, mandaſſe, ut inoculatio omnibus infantibus exhibeatur contra Roncallium, qui contrarium crediderat.

Die 7. Februarii. Cum Petitius ægrotaverit, du Hamelius & Tenonius miſſi, ut de ſalute ejus referant. Salvus evaſit.

De la Caille legit obſerv. aſtronomicas in Collegio Mazariniano A°. 1760. factas, circa ſolis & lunæ eclipſes, circa cometas, de luna & ejus poſitionibus, de maxima ſolis æquatione &c.

De la Lande diſſ. de papyri conficiendi methodo, & du Hamelii de aoufficio hac & ſequenti ſeſſione lectæ.

Die 11. Februarii. Eremita quidam ſe Academiæ exhibuit, cui rupto umbilico, peritonæum & inteſtinum tumoris inſtar propendent, cum continua urinæ per hunc tumorem ut & per penem, fluxu involuntario. Morand & Tenonius illum cautius examinabunt.

Breghius

Breghius Acad. Correſpondens legit verſionem diſſ. de Geer de verme illo frumentum rodente, quæ tomo 1748. Academiæ Suecicæ inſerta fuit.

De Limbourg machina hydraulica nova exhibita a Nolletio & de Parcieux examinanda.

Haleſii mors nuntiata.

Jam quod addam non habeo. Vale cum dulciſſima matre & familia, mihique fave.

Dabam Pariſiis die 13. Febr. 1761.

138.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Die 14. *Febr.* lectæ litteræ Gentilii de 15. Julii & 20. Sept. 1760. de l'Isle de France, obſervationes continent circa longitudines & circa lunæ eclipſin. Prope Promontorium bonæ ſpei, quatuor navibus anglicis illum proſequentibus evaſit. Tempeſtas vehementiſſima magnum navibus d'Apcher Galli intulit damnum. Duo enim navigia bellica plane perierunt, omnia alia vix in eo ſtatu ſunt, ut amplius inſervire queant. Timetur maxime ne Pondichery ab Anglis capiatur. Briſſonius de Dni. de Luc diſſ. circa echiniten ſiliceum retulit, ut & Bourdelinius de nova Baumei pharmacopolæ Pariſienſis methodo, tartarum vitriolatum, ſolo acido nitroſo conficiendi.

De la Caille legit obſervationes aſtronomicas 1756. factas, de altitudine ſolſtitiali Solis, de diſtantia

diſtantia Zenithi a margine ſuperiori Solis, de eclipſi lunæ per Martem, de Mercurio, de diſco Solis. Variæ ex his obſervationibus Florentiæ a P. Ximenes factæ fuere.

Die 18. Mullerus Petropolitanæ Academiæ Secretarius Correſpondens Academiæ Pariſinæ electus. Eadem methodus, quæ in aliis electionibus, oportet ex 9. vota dantibus, ad minimum 6. vota habere. Inſcribitur ſchedis correſpondance accordée, correſpondance differée, nunquam refuſée. Du Hamelius datus, quocum litterarum habeat commercium.

Bomarius de Valmont novam exhibuit camphoræ purificandæ (raffiner) methodum, & demonſtravit fabulam eſſe Belgarum, qui dicunt, camphoram Japanicam purificari non poſſe, niſi Borneenſis inmiſceatur, & balneo-arenæ id fieri poſſe per experimenta docet.

Briſſonius & Fougeroux catal. foſſilium a Bacheletio dono datorum exhibuerunt.

Die 25. Dn. de Boiſenville diſſ. legit ſolutionem algebraicam, problematis hydraulici exhibentem, de qua Clairautius & Bezout Academiæ referent.

Gallonius Miles & Eques St. Ludovici legit diſſ. de laterum (briques) fabricandi methodo, & de erroribus hucuſque commiſſis. Bona ſed nimis prolixa diſſertatio.

Aca-

Academiæ volumen pro 1755. diſtributum fuit, quo inter alia Dux de Chaulnes diſſ. inſeruit circa opticam Neutonii. Frequentiſſime adeſt ut & Maleſherbius & de Montmirail, aliquando Cardinalis de Luynes, & Dux de St. Aignan. Ceteri honorarii rariſſime.

Abbas du Resnel, Academiæ gallicæ & inſcriptionum adſcriptus, poſt diuturnum morbum tandem heri obiit.

Non habeo quod addam. Vale cum dulciſſima matre & familia, mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 27. Febr. 1761.

139.

BERDOT, Filius.

Ingratum non fore ſcripſiſti, ſi, quæ in praxi paulo inſolentiora contingunt, nota Tibi facere. Quædam elapſo proxime anno occurrerunt & 1°. quidem. Ventriculi ſcirrhoſo carcinomatoſi inciſio. Morbi quam reſcire potui hiſtoria hæc eſt:

Vir annor. 34. quadratus, robuſtiſſimus, arduo cuivis labori inſudare, diætæ vero parum ſtudere ſolitus, ſpirituoſis liquoribus nimium quantum ſæpe indulgens, nullis quantum meminerat, niſi lumborum doloribus obnoxius; autumno ann. 1759. a modico itinere adeo proſtratum ſe ſenſit, ut deficientibus pedibus vires evaneſcerent. Abinde fere de moleſto in abdomine verſus

ſus ſiniſtrum hypochondrium pondere, viribus labaſcentibus, alvoque tardiori & moleſte ſolvenda conqueri cœpit, ut tandem tardiſſima foret, ingentesque anxietates moveret inter exonerandum, quibus utpl. impar ferendis æger vel vigeſies ſellam petebat, ante reſpondentem duriſſimam & exuſtam alvum. Invaleſcente malo peſſime a quibusvis deglutitis habebat, ut ſæpius per aliquod tempus ſuperiori ventriculi oſtio immorari viderentur quæcunque paulo craſſiora alimenta, corpusque modo dextrorſum ſiniſtrorſum modo vibraretur, quo facilius deſcenderent. Ægre pulticulam, ægrius offam, vixque juſculum vel & aquam tenebat ventriculus, quin ſummis ſemper anxietatibus, torminoſis ſæpe cruciatibus moleſtus fuerit, ructus frequentes movens atque omnimodos excitans corporis motus; modo enim ſedebat æger, modo ambulabat, humi modo procumbebat corpus mire devolvens, ſcalas aſcendebat deſcendebatque, omnia per horas multoties. Moleſtiſſimus erat ſed rariſſimus ſimul vomitus. Nullus per plurimas ſæpe noctes, nullusve per integros dies aderat ſomnus, quippe qui impediebatur a pondere in abdomine modo trahente, modo premente, pro vario corporis ſitu. In deliciis eſſe pergebat vini ſpiritus, cum eo enim uno ſe quidpiam haurire ſolatii & euphoriæ fatebatur æger.

Viſcerum abdominalium infarctum accuſarunt pluſculi in auxilium vocati medicaſtri, huncque venæſectionibus, emeticis, laxantibus, electariis ſalino martialibus &c. aggreſſi ſunt, malo ſem-

per

per invaleſcente. Ego tandem 4. ante mortem menſibus in auxilium vocatus, audita miſeri fati hiſtoria, abdomineque manu perſcrutato, reperi ſiniſtrum hypochondrium paulo anterius tumens, duriſſimum, ad tactum renitens admodum & aliquantum dolens, ſuperiori tumoris parte coſtis ſpuriis recondita: tumebat dura pariter, minus tamen ad tactum renitens minusque dolens epigaſtrica regio, dextrumque hypochondrium.

Peſſime, eoque magis laborare ventriculum ſcirrhoſum forte dixi, quod ingens ſimul adeſſet lienis ſcirrhus, quem male ſuſpicabar, ipſeque jam ulceroſus, qui mole, compreſſione, vaſorumque & humorum conſortio hepati infarctum, anguſtiæ atque moleſtiæ ſtomachi augmentum crearet: malum a ſpirituoſis ortum duxiſſe aſſerui, eoque deveniſſe dixi, ut vix curationi locus, vix tantilla valetudinis recuperandæ ſpes ſupereſſe videretur, cauſa mali percunctanti.

Suaſi diætam tenuem ex hordeo, oryza, oleraceis, ſeri lactis magnum continuum uſum, epotis ſubinde aquis Selteranis. Pilulas porro ex extractis amaris ſaponaceis vegetabilium, externeque emplaſtrum reſolvens gummoſum. His per aliquot hebdomadas uſurpatis nihil plane aliud effectum, quam facilior quotidianaque alvi ſolutio, cæteris omnibus iisdem imo invaleſcentibus. Horum pertæſus æger martialia, ſalina, balnea &c. in uſum vocavit, ſanguinem mitti curavit, exſuccus tandem & exinanitus d. 9. Sept. 1760. mortuus eſt.

Miſſum de vena, ultimis præſertim menſibus, ſanguinem totum fere quantum citiſſime in ſerum flaveſcens ſolutum fuiſſe narrant, ſupernatante inſula fungoſa, flaveſcente, coriacea.

Inciſio XVIII. *poſt mortem horis.*

Aperto abdomine occurrit paulo ſiniſtrorſum ſub diaphragmate, tumor albidus, fere globoſus, cartilagineæque duritiei, ſiniſtra pars erat ventriculi. Quod de tumore illo conſpicuum erat 5. ad minimum 4. digitos transverſos latum erat, quod vero de ventriculo reliquum fuit, ſiniſtro hepatis lobo tectum viſum fugit. Denudato & evoluto morboſo viſcere craſſiſſimum idem ſed breviſſimum ſimul viſum eſt, ſic quidem ut 8. transverſi digiti totam texerint longitudinem, quatuor craſſitiem, præſertim circa ſuperius orificium, non æquaverint, ſex latiſſimam anterioris ſuperficiei partem obtexerint. Anterius a minori curvatura, cardiam verſus, ad mediam & ultra ſuperficiem accreta videbatur *protuberantia quædam annularis* diametri forte $3\frac{1}{2}$ pollicum, protuberantiæ autem incirca unius. Aſperior erat, veſiculis hinc inde obſita, ex albo rubella, cartilagine non mollior, in medio foveam faciens & depreſſa. Ab inferiori protuberantiæ hujuſce margine ad magnam uſque curvaturam, a naturali ſtatu vix abluſiſſe viſæ ſunt ventriculi tunicæ: ſed id parum omnino fuit, cum 2. facile pollicibus texiſſes, quod latitudine valebant in mali conſortium non tractæ iſtæ tunicæ.

Magnæ

Magnæ ventriculi curvaturæ accreta erant 5. vel 6. glanduloſa alba corpora, ovo columbino non minora, ut majora aliqua adfuerint, dura omnia & ſcirrhoſa.

Poſterior ventriculi alias inferior facies, rugoſa erat, inæqualis, huic accretum erat omentum pa ſque duodeni, a majori ad minorem curvaturam, a cardia ad pylorum fere, cartilagini duritie ſimilis, prominebant hinc inde veſiculæ albidæ, materia puris inſtar inſpiſſati refertæ.

Apertus ſtomachus vacuus viſus eſt, vixque ejus capacitatis, quæ ℥x liquidi habere potuerit. In ventriculi cavo protuberabat poſterior paries tumidus, carnei coloris, rugoſus, aſper, tuberculoſus, ſulcatus, cancri ad inſtar exulcerati: occurrebant hinc inde veſiculæ, alba caſeoſa materie fartæ.

Diviſus ſcalpello paries eam exhibuit craſſitiem, quæ 3. transverſis digitis, præſertim qua ſuperius eſt orificium, vix attingi potuerit. Veſiculæ ſupra dictis ſimiles locis diviſis inhærebant pluſculæ, ut hiſce aliquam partem conſtare videretur paries iſte poſterior. Superius ventriculi oſtium, parsque œſophagi infima, cartilagineæ erant duritiei. Pylorus nihil præter naturam exhibuit. Ventriculi pondus fuit ℥xxvj. Vix quicquam p. n. exhibuerunt reliqua abdominis viſcera præter *omentum*, cujus aliqua tantum portiuncula vix digitum lata magnæ ventriculi curvaturæ appenſa erat, denudatis inteſtinis. *Tubus inteſti-*

nalis naturaliter conſtitutus, nec niſi magna æqualitate & vacuo peccans. *Hepar* ſanum. Veſicula fellis bile plena dextro ventriculi oſtio incumbebat. *Lien* minor compactiorque viſus eſt. *Pancreas* ſanum. *Renes* integerrimi. *Meſenterium* ejusque glandulæ ſanæ. Pectus ſiniſtrum exnudatum. (*ſic*) Pulmones ſublividi aëre turgidi. *Aqua* in pericardio. *Cor* exiguum, ſanum. *Diaphragma* intactum.

An a ſpirituoſis natum malum? an prævia inflammatio & exulceratio & inde accretio duodeni, coli & omenti? an moleſtus & rariſſimus vomitus a ſuperiori oſtio ſcirrhoſo, a pyloro non ſuperando.

Obſerv. 2da. Menſtruus hæmorrhoidum fluxus in puella trienni. Puella (phthiſica matre nata diarrhœam menſtruam pluries catameniorum loco experta) ad annum ætatis 3. tenuiſſimi erat corporis habitus, magna aderat macies, incipiensque tabes ſcabioſa. Mutato autem per tempus aëre, demulcentibus & leniter nutrientibus ex C. C. &c. evanuit ſcabies, corpore pinguiori facto, ſed ſubortis ſimul hæmorrhoidibus, ab eo tempore quovis menſe, præviis corporis laſſitudinibus, crurum moleſto motu, lumborum doloribus, largius fluentibus, pinguiori & multo melius habente puella nunc quadrienni. An fœcunditati oberunt hæmorrhoides? an futuræ hæmoptoes & phtyſeos indicium? an tuto, ut ſuadere videtur de Haen, coërcendæ?

Obſerv. 3. Sudor menſtruus largiſſimus in ſene. Octogenarius quidam Belfordenſis vegetus & robuſtus,

robuſtus, 30. & ultra ab annis, quovis menſe ſudore per integrum diem diffluit. Si ſueto tempore cunctatur ſudor, vel minus rite procedit, peſſime habet ſenex; paratque ipſe acetarium quoddam, quo largius adhibito promanat cum euphoria ſudor.

Plantas plures elapſo anno legere per valetudinem non licuit. Paucarum quas cum amic. La Chenal magnam partem legi, adjungo catalogum. Largiorem det Deus hoc anno meſſem.

Vale Vir Illuſtriſſime Excellentiſſime & favere perge.

Scribebam Montbelgardi d. 28. Febr. 1761.

140.

de LA CHENAL.

Pro catalogo, quem heri accepi, maximas gratias ago. Refertus eſt rariſſimis ſtirpibus, neque ſpes vana affulget fore, ut per itinera a Te aliisque, ut ex litteris tuis diſco, proxima æſtate ſuſcipienda inſigniter adhuc augeatur. Perluſtrando eum nec non emendationum ſecundam partem, quam a Cl. Miegio commodatum habeo, varia in binis hiſce ſcriptis reperi, de quibus pauca heic monere liceat.

Tithymalus paralius, quem Vir Illuſtriſſime miſiſti a n. 228. catal. qualis quidem nobis provenit non differt.

N. 256.

N. 258. Baſileæ paſſim in aridis abunde legi. Caricem in ſummo Speluga lectam haud reperio in catalogo, neque Scirpum maritimum caule triangulo.

Naſturtium ſylveſtre Oſyridis folio C. B. Baſileæ haud rarum utique diandrum eſt & apetalum, diverſiſſimum ab eo, quod Iberidis Math. nomine miſiſti. Noſtrum ſiliculas habet obcordatas, vel ovato-ſubrotundas, apice emarginatas, ſtylo etiam in junioribus nullo. Caulis diffuſus vix pedem altus. Folia radicalia cæteris parum latiora, minime ſerrata. Odor fortiſſimus naſturcinus.

Carduus tataricus Linn. a Cirſo prat. aſphod. rad. &c. Vaill. quale Michelfeldæ frequens eſt abunde, mihi differre videtur. Huic enim capitula in longiſſimis petiolis nudis nutantia ſingularia ſunt. Folia etiam figura valde diverſa, ut de cæteris taceam.

Aſter luteus linariæ glabro rigido folio C. B. non videtur a ſalicis folio differre. Omnia enim ſpecimina, quæ copioſe paſſim circa Baſileam legi, ab exemplaribus olim a Te miſſis haud differunt. Folia equidem ſæpe variant. In M. Dornach legi foliis latioribus ovato-lanceolatis, in M. Muteto foliis paulo anguſtioribus, in dumetis ad Birſam foliis valde anguſtis pene linearibus, longiſſimis.

In Muſcis nunc colligendis totus ſum. Inter Muſcos alpinos meos nunc aliquot diſtinguo in vallis

vallis Lepontiæ umbroſo loco a me lectos, quos ex autoribus eruere nequeo. Eorum ſpecimina aliquot addo. Spero futurum iter majorem copiam Muſcorum eſſe largiturum quam præcedens.

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Dabam Montbelg. d. 3. Martii 1761.

141.

MORGAGNUS.

Ex litteris tuis, Illuſtris Hallere, die 25. Maji datis pergratum fuit mihi intelligere, Te & valere, & meam die 26. Martii ad Te miſſam epiſtolam accepiſſe. Nec dubito, quin etiam faſciculum, de quo eadem epiſtola ſcribebam (ut quem non ita multo poſt per viam mihi conſuetam ad Te perferendum curavi) recte acceperis, ut in eo Pigati rudimenta Botanices, quem unum de tribus quos hinc optabas, libris mihi, & amicis notum eſſe pro certo habeto.

Mihi vero his ipſis diebus redditus eſt elaboratiſſimæ Phyſiologiæ tuæ tomus tertius, quem ubi a Bibliopego, cui ſtatim miſi, recepero, perlibenter legam: interea autem tuæ erga me liberalitati gratias ago cumulatiſſimas. Quod vero tam cito ad me Tiguro uſque ſit allatus, humaniſſima diligentia factum eſt eruditi, & benevoli Viri Dni. Jacobi Kühnhans, cui ſi, ut per Cl.

Geſnerum librum miſeras, ita feceris ut officia hæc perveniant mea, Tibi hoc etiam nomine obſtrictior ero.

Libros meos, quos Septembri menſe abſolutos Typographi acceperunt, ſtatim atque typis deſcripſerint (quod æſtate hac fore, ſpero) ad Te, ut omnino debeo, ferendos curabo cum quibusdam aliis, ſi qui interea apud nos prodeant, qui Te non prorſus indigni videantur. Si Pujatum noſtrum mors immatura non abſtuliſſet, tractatum edidiſſet dignum, ut opinor, qui ad Te mitteretur. Eum ſi filius edet, habebis.

Vale, Vir Illuſtris, & communia ſtudia, ut ſtrenue facis, juvare perge.

Patavii die 5. Martii 1761.

Reſignavi has litteras, ut gratiarum actionem merito adderem pro accepto hoc ipſo die altero a Te dono, ſeptimi videlicet tomi diſputationum ad morborum hiſtoriam, & curationem facientium. Quod donum, ut tua omnia, gratiſſimum fuit. Iterum vale.

142.

CALDANUS.

Accepi tandem ab amico Somiſio ea, quæ Tu perhumaniter jam diu pollicitus fuiſti. Nempe faſciculos anatomicos: diſputationes chirurgicas, aliasque

aliasque diſſertatiunculas. Ea occaſione pervenerunt etiam tomi 2di. Phyſiologiæ tuæ exemplaria duo: alterum pro Palliano Cl. alterum pro Cl. Fontana, & ſimul collectionem Lauſannenſem pro ipſo Fontana; tum obſervationes Cl. Ricou. Tertius tomus dictæ collectionis duplicatus eſt, deficit vero tomus primus. Et Palliano, & Fontanæ curavi omnia quæ ipſis deſtinata erant. Pro iis autem quæ mea ſunt, gratias reddo omnes & maximas.

Quid eventurum de me ſit adhuc ignoro. Pendet adhuc Patavii ſors, æque ac illa Vidobonæ. Hæc incertitudo me adhuc Venetiis tenebit; diſceſſurum quam primum, ut vel Patavium, vel Vidobonam eam, vel, quod credo, Bononiam.

Ex typis Vidobonæ libellus, ut amici referunt, prodiit, cui titulus eſt: *Difficultates circa modernorum ſyſtema de ſenſibilitate & irritabilitate corporis humani orbi medico propoſitæ; auctore Haen.* Scribo hoc veſpere ut quamprimum exemplar mittant. Hac de ratione ſuſpendo reſponſionem D. le Cat; neceſſe enim eſt novas haſce difficultates prius videre. Tu interim vale, Vir Celeberrime, rebus meis fave, atque, ut ſoles benigne, me ama.

Dabam Venetiis d. 14. Martii 1761.

143.

143.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Tenonio litteras tuas dedi, & bene factum, quod obſignatæ non fuerint. Tuæ enim ad me litteræ ſigillis ruptis mihi redditæ fuere.

Capperonerii petitum in eo conſiſtit, quod audierit quendam Lauſannæ vel Genevæ degere, qui doctas notas in Zimmermanii Chemiam conſcripſerit. Cum vero hic verſio hujus operis paretur, optarent editores ſcire, an juſto ſub honorario notas cedere velit. Nomen autoris ignotum illis eſt, ſed cum Tibi omnia talia nota ſint opem tuam per Capperonnerium implorant.

Abbas Trublet loco Mareſcalli de Belle isle in Academiam gallicam electus fuit. Jam quæ in Academia ſcientiarum acta fuerint mandabo.

Die 28. *Febr.* Continuatio diſſ. Domini Gallon de arte lateres parandi.

Le Sage Genevenſis & Bacheletius, Correſpondentes Academiæ electi; primo de la Landius, ſecundo Juſſievius aſſignatus, quorum litterarum habeant commercium. Cum Bezoutius Academicus ægrotet, nomine Academiæ ipſum adiit Tenonius, & Mairanius, Morandiusque Academiæ vota Montalambertio dicere juſſi ſunt, qui Mareſcallus campi electus fuit.

Le

Le 4. *Mars.* De Parcieux rapport de la machine de M. Limbourg.

Die Veneris Directores le Camus & Nollet & Secretar. de Fouchy, regi novum Academiæ volumen exhibebunt.

Da. Cavi le Bourgeois juridicam proteſtationem fecit, ipſius maritum inventorem eſſe brachiorum & pedum arte factorum, & non Laurentium, qui Academiæ ſe ut talem exhibuerat.

Morand fil. legit diſſ. de inoculatione, & de variatione inprimis methodi variolas inoculandi. Favet inoculationi: plurimas & vehementes diſcordias excitavit in Academia, maximam partem futiles.

Neckerus legit examen variorum caſuum experimenti Leidenſis, quibus in electricitate recipitur, vel non recipitur commotio.

Die 7. *Martii* Comes de St. Florentin Academiam litteris exhortavit, ut Regi electionem exhibeat loco defuncti Haleſii, reſpondetur, non eſſe locum ejus, cum Macclsfieldius ſupernumerarius electus fuerit, ſi vero Rex juberet, continuo illos obtemperaturos. Ajunt Principi Jablonowski primum locum promiſſum eſſe.

Quid in conventu publico Academiæ legendum ſit, deciſum, Godinii elogium, & diſſ. tres de la Landii, Malouinii & Clairautii.

Libra illa exactiſſima Dni. de Selles, quæ a $\frac{11}{64}$ grani commovetur, emta pro 250 tb. gall.

Bourdelin

Bourdelin & Macquer retulerunt de Bomarii de Valmont diſſ. de volcanis exſtinctis in Germania eorumque circa Veſaliam inprimis veſtigiis.

Die 11. *Martii.* Sagady Lugdunenſis horologifex novam methodum invenit d'une ſuſpenſion de la caiſſe d'un caroſſe, la ſouspente eſt de 250. fils de fer liés enſemble, ce qui doit ſoutenir le poid de 150000. ℔. La machine eſt moins lourde & moins diſpendieuſe, que les ſouspentes ordinaires.

Hellotius, cum ab Empirico quodam Charteray dicto in libello vehementi aggreſſus fuerit, ob relationem Academiæ de ejus novo remedio factam, Academia juſſit ut judici (Lieutenant de police) ſcribatur, velit autori juſtas pœnas infligere.

Lecta diſſ. de igne ſubterraneo, cujus autoris nomen neglexi notare, cum unanimi fere voto miſera judicata fuerit diſſertatio.

Die 14. *Martii* de Parcieux retulit de nova methodo Baudouinii de deſatteler les chevaux qui prennent le mord aux dents. Il veut lacher le palonnier par un anneau de fer, & une machine differente de celle de M. de la Hire. On la trouve impraticable.

Relatum de Neckeri diſſ. & juſſum ut volumini ſerudit. extraneor. inſeratur.

Relatum de Bouilletii libro circa hydropem pectoris, & laudatum.

Relatum

Relatum de machina Briſoudii pour accélerer la filature du cotton fin pour la mouſſeline. Juſſum volumini machinarum ab Academia approbatarum inſeri.

P. Benoit Jeſuita Miſſionarius Sinenſis a Mairanio, & Fernerus Profeſſor Aſtronomiæ Suecicus, jam Lutetiæ degens, a de l'Iſlio correſpondentes propoſiti. Primo Commiſſarii dati de l'Isle & de la Caille, ſecundo de Mairan & Clairaut.

Quæ addam non habeo, vale cum dulciſſima matre & familia mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 20. Martii 1761.

144.

ACHILLES MIEG.

In §. 142. Emendat. tuar. aliquid circa locum natalem correxi, quod non ægre Te laturum ſperavi: ibi nempe refers, me Feſtucam ab Hofero deſcriptam Tibi miſiſſe in *Gemmio* a me lectam, quem tamen montem nunquam vidi; ejus vero duplicem varietatem in noſtra vicinia legi: primam nempe ad Wieſam, majorem iſtam, multifloram & deſcriptioni Hoferianæ convenientem, qui etiam ipſi transmiſſum a me gramen pro ſua planta agnovit; alteram humilem, paucifloram & ſpicatam ad latus ſylvæ die Hardt dictæ: quam poſteriorem memini aliquando in litteris me comparaſſe gramini a Te ipſo in Gemmio lecto, & in itinere

itinere alpino deſcripto; quapropter illos locos natales huic ſubſtitui. Cæterum gratus agnoſco Viri Illuſtris in me benevolentiam, & honorificas paſſim mei nominis citationes; uti etiam gratias ago pro transmiſſa nova rariorum ſtirpium enumeratione, quam ſuo tempore bene acceperam.

Podagram velim execratam eſſe, quæ vel unicum diem ab utili aliquo opere Te arcere ſuſtineat! nonne citius infenſa illa materia evocari poſſet epiſpaſtico remedio, ad ipſum affectum locum applicato? Spem facere poſſit Moxæ in ejusmodi malis a multis laudatus uſus, tunc cataplaſmatis acris in diario D. van der Monde deſcripti; atque egregius tandem, quem ipſe aliquoties vidi, veſicatoriorum effectus in capitis, lateris, coxendicis aliarumque partium, ex ſubtili & acri defluxione ortis doloribus; & certe non video, cur non mobiliſſima illa podagræ materia epiſpaſtico extrorſum trahi poſſit, quam adſtringentia tam cito ex articulis in corpus repellere valent. Nuper demum narratus mihi fuit caſus viri Argentinenſis ex ſuppuratione per pluſculos dies in podagræ ſede ſuſcitata, ab hac cito & per plures dein annos liberati.

Præparo pulcherrimam urbis noſtræ puellam ad inoculationem, quam Deus fauſtam eſſe velit!

Vale Vir Perilluſtris, mihique porro fave.

Dab. Baſileæ d. 24. Martii 1761.

145.

145.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Die 31. *Martii.* Publicus Academiæ inſcriptionum & liberalium artium conventus. Garnierio Prof. hebr. ling. in Coll. regio, proxime Academicis annumerando, præmium decretum eſt circa hiſtor. gallicam. Inde præmium declaratum Cayluſii pro St. Martin 1762. circa numina inferiora Ægyptiorum. Sallierii inde lectum elogium: natus fuit A°. 1685. in Burgundia. Abbas Mignot menſe Febr. hujus anni Academiæ adnumeratus diſſ. legit de Indorum philoſophiæ autoribus & eorum vitis. Chabanonius apologiam Pindari & lyricæ poëſeos, pulcherrima diſſerta io, & denique Bougainvillius de hiſtor. Græcor. circa primum mundi ævum opinionibus.

Die 1. *Aprilis* Academia ſcientiarum publice convenit. Præmium ſur l'arimage des vaiſſeaux in duas partes diviſum fuit inter Abbatem Boſſu Academiæ Correſpondentem, & Jo. Albertum Eulerum Leonardi filium. Eadem tamen materia iterum pro 1763. propoſita, ita tamen ut inprimis agatur des differentes methodes d'arimer les vaiſſeaux. Godinii inde lectum elogium Clairautius optimus ille amicus meus legit diſſ. de methodo irides a teleſcopiis arcendi. Malouinius, qui Te plurimum ſalutat, des moyens de guerir la morve des chevaux & le vrai

ſiège & ſymptomes de cette maladie. De la Lande de variis phænomenis ab attractione planetarum in terram orbem noſtrum oriundis. Buache de mechaniſmo tabulæ Peutingerianæ. Nollet nova experimenta certe curioſiſſima circa electricitatem, occaſione opuſculi anglici Roberti Simmer.

Die 2. *Aprilis* Academiæ chirurgicæ publico conventui adfui. Præmium a Peyronio fundatum nemini adjudicatum fuit. Præmium æmulationis vero Bertholinio ob diſſ. de luxatione radii. Secunda vice hoc præmium retulit. Præmia minora Bertholinio, Barthio, Thomas, Roſe, Trecourtio data. Roſio ſecunda vice.

Bordenavius legit diſſ. de variis methodis veſicam urinariam aperiendi ad educendam urinam retentam. Humbertus de fractura collis femoris. Sabbatierius obſerv. de vulnerata veſicula fellis. Vulnus $1\frac{1}{2}$ linearum intra paucos dies lethale fuit. Brasdor de fractura claviculæ, & nova ligatura adhibendo. Thomas de nova lithotomiæ methodo.

Die 4. *Aprilis. Acad. Scient.* Cum juſſu regio Haleſii locus reimplendus ſit, datus dies 11. Aprilis pro electione, & eligetur ſine omni dubio Princeps Jablonowskius Reginæ conſanguineus. De Grandchamp Academiæ ſcripſit, ut ipſi notam faciat methodum aliam conſtruendi fornacis ad fundendum ferrum. Hellotius datus Commiſſarius. Faiguai de Villeneuve, Galliæ Theſaurarius in

in Britannia de novo fornace ad uſum exercituum. Du Hamel & de Montigny Commiſſarii dati molendino jam 28. Jan. exhibito, cum variis correctionibus noviter propoſito. Exinde eædem diſſ. leg. inceptæ, quæ in publico conventu lectæ fuere, ſed inſigniter auctæ & extenſæ.

Die 8. *April.* Montalambertius opus conficit de fortificationibus; Comes de Lauraguais & Dnus. de Chabert Commiſſarii dati. Et Alembertio pro opuſculis ſuis mathematicis Commiſſarii dati le Monnier & Bezout. Abbas de Chappes, de Breteuil, de St. Sauveur ſcripſerunt ad Acad. de Chappii itinere Toboſkienſi ad obſervandam Veneris cum Sole conjunctionem. Imperatrix ei 5000. ℔. dono dedit & militem comitem. Juſſum Breteuillio nomine Academiæ gratias agendas eſſe. Hallardius opus quoddam anglicum de planiſphærio univerſali vertit: Commiſſarii dati le Monnier & Fouchy. Piſcis monſtroſus captus prope Bayonne 49. pedes longus, 21. in ambitu, Cachelot dictus. Filia quadrimula à Bernon près de Tonnerre en Champagne menſibus prædita & pubertatis ſignis. Berthoud horologifaber novum exhibuit horologium aſtronomicum invariabile. De la Caille & de Lande Commiſſarii dati.

Tabula mortuaria Pariſina pro 1760. Acad. exhibita, minus bona Londinenſi, cum morbi caſusque non ſint diſtincti, nec anni, ſequentia excerpſi:

1760.	Nati.	Mariages.	Morts.	Enfans trouvés.
Januar.	1671.	348.	1846.	428.
Februar.	1692.	587.	1740.	452.
Martio	1659.	57.	1974.	528.
April.	1551.	291.	2000.	450.
Majo	1413.	369.	1608.	417.
Junio	1391.	354.	1464.	415.
Julio	1453.	368.	1317.	435.
Auguſto	1378.	247.	1255.	311.
Septemb.	1482.	318.	1254.	379.
Octob.	1550.	316.	1306.	389.
Novemb.	1367.	501.	1235.	412.
Decemb.	1384.	31.	1333.	385.

Summa Batêmes mâles 9214. Femelles 8777.
total 5031.

Mariages - 3787.

Morts mâles 9679. Femelles 8653.
total 18531.

Enfans trouvés 2573. Femelles 2458.
total 5031.

Curio-

Curioſitatis gratia Tabulam addo de l'Hôtel-Dieu pro 1760.

	Entrés	Reſtés cum illis de 1759.	Morts Mâl.	Morts Fem.	Total du Mois.
Janv.	2328	3037	327.	228	555.
Fevr.	2149	3020	282.	213	495.
Mars.	2345	2880	297.	223	520.
Avril.	2859	2557	375.	205	580.
May.	1849	2470	243.	191	434.
Juin.	1822	2367	199.	166	365.
Juillet	1660	2256	187.	155	342.
Août.	1714	2252	170.	127	297.
Sept.	1522	2253	168.	119	287.
Octob.	1970	2429	165.	157	322.
Nov.	1864	2466	220.	142	362.
Dec.	2010	2714	202.	150	352.
	24292	———	2835.	2076	4911.

Abbas Seguy Academiæ gallicæ ſodalis his diebus obiit. Libri, quos die 28. Febr. Bernam miſi, advenerunt, ut ſcripſit avunculus Hallerus, & traditi fuere libri, qui Tui ſunt, Zeerledero. Trudainius Conſeiller d'Etat du Roi & Intendant des Finances, qui me ſummo cum favore proſequitur, tuorum pœmatum cauſa germanicam lin-

guam didicit, id quod & varii alii inſignes Viri conantur. Malesherbius fautor quoque meus, Cancellarii filius, & ipſe premier Préſident de la Cour des Aydes, multa mecum de Graſſetio locutus eſt, a Voltairio in Gallia ipſa perſequuto, dixi quæ mihi innotuere bona, malave, ita tamen ut mala magis obſcure explicuerim. Malesherbio incumbit provincia inſpectionis in omnes Librarios Galliæ, & in introductionem librorum exterorum in Galliam.

Vale Optime Pater cum dulciſſima Uxore, mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 10. Aprilis 1761.

146.

CALDANUS.

Accepi humaniſſimas Tuas, Haller Præſtantiſſime, quas diu quidem, avideque optabam; & gratias ago plurimas, quod Regia Societas Göttingenſis tanto honore hominem cumulaverit, cum ſocium ſibi adſciſcere me ipſum voluit. An vero opus ſit vel Tibi, vel a Secretis Academiæ gratias referre per litteras Tuum erit admonere.

De Patavio adhuc dum nihil poſſum dicere: Medicus quidam Veronenſis *de la Bona* eandem cathedram expetit, & in hunc finem ſcripſit nuper librum de Scorbuto, in quo, ſi quid ego judico, collegit fere omnia, quæ dicta ſunt hactenus de diro hoc morbo.

Hunc

Hunc librum Tibi reddo, Vir Clariſſime, ut amicitiæ meæ pignus, quamvis exiguum. Addo librum Dominici Vandellii, quem mallem non addere. Acris apologia extat ad finem tum contra Te, tum contra ſectatores quoscunque tuos. Contumeliis afficit omnes, nec ætati parcit, nec meritis, nec dignitatibus. Similia non audivi ab homine. Docuiſti me alias, *iniquiſſimis etiam hominibus parcendum eſſe*; ſed magna requiritur virtus, ut tot injuriis valedicatur.

Libros hoſce tradidi Joanni Baptiſtæ Paſquali, Veneto Bibliopolæ, ut Bernam mittat ad diarii Bernenſis Collectores. Poteris itaque ab illis accipere. Sed poſſent ipſi Collectores abſque contumelia Vandellianum librum referre, & palam oſtendere, quam parum vel nihil Logicam calleat, quomodo vitaverit difficultates, & fallacias adnotare, & adjicere quod ea, quæ a me conſcripta ſunt in ſecunda epiſtola, hujusmodi non ſunt, ut tot contumelias, & mendacia ſecum traherent. Tuum vero eſto judicium ſagaciſſimum. Cura ut valeas, & podagra ſua loca teneat: autumo enim, quod magnopere placet, ſecuritatem. Me ama ut ſoles.

Dabam Venetiis die 11. Aprilis 1761.

Nomen authoris non intellexi, qui in Suecia, ni fallor, numeroſas fecit de tendinibus obſervationes.

147.

DE LA CHENAL.

Nuperrime ob varia negotia Biennæ fui Bernæque, ubi quidem non abſque dolore ſpe me fruſtratum vidi, quam Te ibi reperiendi, coramque Tecum conferendi, ultimæ tuæ litteræ attulerunt.

In hocce per varios Juræ tractus inſtituto itinere præter vulgatiores montanas ſtirpes, Crocum, Drabam alpinam luteam, Leucojum vern. peren. alb. maj. Gramen glumis variis &c. Nonnullas alias legi haud indignas, quæ heic notentur.

1. Primula acaulis ſcapis unifloris. In montanis verſus Biennam abunde cum Trifol. hepatico.

2. Ceterach. In rupibus Juræ ſupra Corno ad leucæ diſtantiam ab urbe Bruntrut non copioſe.

3. Petaſites floribus ſpicatis, floſculis pauciſſimis androgynis, calycis foliolis lanceolatis Emend. 11. In montoſis dumetis inter Clovillers & Bellelai. Diverſiſſima utique planta a Buxbaumiana nobis Baſileæ vulgari, licet perinde floſculos androgynos perpaucos habeat. Nunquam antea repereram gratiſſimam mihi ſtirpem.

4. Buxus. Magna copia in monticulis & collibus circa pagum Buis inter Dattenried & Bruntrutum.

5. N°. 721. Catal. In ſaxoſis ſupra Corno frequenter.

6. Gentiana alpina pumila verna major C. B. circa Bellelai & in nonnullis paſcuis inter Nidau & Arberg copioſe.

7. Fragaria ſterilis. Ubique in planis & montoſis etiam inter Frieniſperg & Orſchwaben ad ſepes copioſe florebat.

8. Usnea jubata nigricans Dill. Copioſe ad ſepimenta lignea pratorum circa Bellelai.

9. Usnea barbata loris tenuibus fibroſis Dill. Cum præced.

10. 139. Cat. Paſſim in ſylvis montoſis, Baſileæ & Montbelgardi, vulgare etiam in planioribus.

11. 149. In ſaxoſis montoſis paſſim frequens.

12. 150. Simil. locis abunde.

13. 151. Simil. locis.

14. 153. Catal. nihil vulgatius ſimilibus locis, præſertim varietas ejus β. Sed & Baſileæ Montbelgardique ambæ varietates ad muros & ſaxa a ſole averſa abunde proveniunt.

15. 154. Paſſim cum præcedentibus.

16. 155. Simil. locis.

17. 160. Circa Bellelai in paludoſis & alibi, etiam Baſileæ & Montbelgardi.

18. 136. Circa Bruntrutum. Montbelgardi vulgatiſſ.

19. Hypnum erectum aut fluitans foliis oblongis peranguſtis acutis Dill. n. 33. Circa Bruntrutum & Dachsfelden in paludoſis. Baſileæ etiam & Montbelgardi.

Sequuntur nunc duæ Muſci ſpecies, quæ mihi plane novæ videntur, Bryum nempe Polytricho vulg. aliquatenus ſimile, magnis ceſpitibus naſcens, caulibus uncialibus & biuncialibus erectis, in aliquot plerumque ramos diviſis, ferrugineo tomento inferius obſitis; foliis crebris longis, lanceolatis, acuminatis, læte viridibus, non ſerratis, pellucidis, patentibus, ſiccitate criſpis & adpreſſis, ſeta longa, purpurea, terminali, capſulis craſſiuſculis, ovato-oblongis, nutantibus, operculo mâmmillari obtuſiſſimo; calyptra longa, ſtraminea, ſtricta, acuta, lateraliter dehiſcente, baſi plerumque cum ſeta concreta. Folia in apice roſulam efficiunt. Copioſe legi ſub rupibus prope Vandoncourt agri Montbelgardenſis & in Jura M. ſupra Corno.

Secunda eſt Fontinalis nova ſpecies, quæ, cum in aqua facillime ſeſe reſtituat, deſcriptione haud indiget. Abunde hinc inde legi circa Montbelgardum ſaxis ſub aqua adhærens vel etiam ad arborum imos truncos, quos rivulos præterlabitur,

tur, nec non in alveis fontium. Horum duorum Muſcorum ſpecimina aliquot hiſce litteris inſeram.

Amicum nunc Genevæ habeo, qui plantas ejus regionis rariores mittet, jamque a Dente canis initium fecit. Earum ſi quæ novæ ſunt vel minus cognitæ communicabo.

Vix ac ne vix quidem ſecundum iter alpinum ſuſcipere potero, cum a Cel. Zwingero, ut in noſodochii Baſileenſis ægrotis inviſendis ejus vicem expleam, rogatus ſim, quapropter brevi Baſileam revertar, totusque praxi me addicam, minime tamen, quantum negotia ferent, Botanicam negligendo.

Scirpus, de quo ut moneam rogaſti, is ipſe eſt, quem C. Bauhinus ſub nomine Junci acuti maritimi caule triangulo deſcripſit & delineavit. Copioſe creſcit in arenoſis udis ad Rhenum infra Neudorf & Klein Huninguen.

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Dabam Montbelgardi d. 15. Aprilis 1761.

148.

CALDANUS.

Neceſſitas urget me ſumma ſequentia non ignorare, & quidem citius quo fieri poteſt.

Tituli requiruntur eorum omnium, qui pro

Te

Te ſcripſerunt : num ſcilicet laurea doctorali donati ; num Academiæ alicujus ſocii ; num Profeſſores alicujus Univerſitatis ; num vero Archiatri ſint Principis alicujus. Cum vero dico *omnium*, intelligo tum diſcipulos tuos, tum auctores ſequentes.

Farion ; Bordenave ; Hunter ; Emett ; Broklesby ; Muhlmann ; Houſſet ; Mieg ; auctoris illius citati in Tom. V. Actorum Societatis Botanicæ, qui appellatur, ni fallor, *Vandenhaar*, tum alterius, neſcio an ſit *Acrelli*, qui in ægrotis numeroſis tendines vexavit, nullo cum ægrorum malo.

Hæc omnia requiruntur, ut fiat æqua ſed non acris reſponſio iniquo . . . . ; quæ reſponſio, etſi mea, tamen prodibit alieno nomine, nempe Medici amici mei, qui Te ſummopere colit, reſque tuas, Vir præſtantiſſime, ut debet, admiratus perpetuo eſt.

Cura tamen, ut diverſa manu conſcribantur ii Tituli, ſic ut amicus recte poſſit intelligere, neque errori locus ſit : ut enim viſu non acutiſſimo gaudet, decipi poſſet quam facile, & ad eum ſpectabit omnia tranſcribere.

Quæſo interim, ut maxima qua fieri poteſt feſtinatione id præſtes. Plagiarii enim ſunt palam faciendi citiſſime.

Me ama, ut ſoles, & me crede &c.

Dab. Venetiis die 18. April 1761.

149.

149.

CALDANUS.

Quod attinet ad iniquam Vandellii apologiam, ſcias velim, me ex variis locis litteras habere, quæ monent nullum adeſſe hominem, qui ignorantiam ſimul, & temeritatem iniqui Cenſoris non admiretur: quin immo illuſtris quidam Patavinus Profeſſor amicus hæc addit: *Obſtupeſcunt omnes, quod Patavini ſtudii reformatores excellentiſſimi ac nobiliſſimi, iniquiſſimi libri oblationem permiſerint. Forte hoc ignorant, & certus ſum, quod ſi Hallerus illuſtris ad eos per litteras confugeret, tantum Vandellii crimen abſque pœna non eſſet: neque enim nunc agitur amplius de nota lite, ſed quæritur, an impune liceat illuſtres homines iniquiſſime aggredi. Dixi, ignorant; cum enim apologia ſit per numerum paginarum a tractatu de thermis ſeparata; forte legendum obtulit manuſcriptum de thermis, non autem iniquam cenſuram.* Hæc Patavinus Profeſſor. Aliquid tamen de hoc dici poſſet in diario Italo, ne dum in excerpto latino: in Italo dixi quod magis præ manibus eſt.

Lego nunc opus de Haen, quod cum Cl. Swietenio dicatum ſit, & litem amiſerit de variolarum inoculatione cum Cl. Tiſſoto, ſatis mihi videtur intelligere, qua de ratione opus illud conſcriptum fuerit.

Hæc habebam quæ dicerem. Nimis forte frequentes litteræ meæ factæ ſunt, ſed ignoſce homini

mini vere amico, & meritorum tuorum ſummo ac maximo admiratori.

Vale, & me porro amare pergas.

Dabam Venetiis die 25. April. 1761.

150.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Quod tam ſero reſpondeam, morbum argue, qui me invaſerat. Febre nempe catarrhali per quindecim dies laboravi ſatis forti, ſed optimi Thierrii cura ſaluti redditus ſum, ita ut præter tuſſim, bene ſatis valeam. Eadem etiam cauſa fuit, quare Academiæ per aliquod tempus adeſſe non potui, ita ut præter Jablonowskii Principis Poloni electionem in Socium extraneum Academiæ loco Haleſii, & Ferneri Profeſſ. Stokholmenſis in Correſpondentem, non habeam quæ mandare poſſim. Quæ pro Tenonio juſſeras rite executa ſunt, & Tenonium Tibi jam ſcripſiſſe credo. Libros, quos miſeram, Te nuncl accepiſſe ſpero, cum Patruus faſciculi receptionem nunciaverit. Alios paro ſed parvo numero, quos ultimis diebus hujus menſis mittam. Gazettæ epidaurenſis autor eſt Doctor Medicinæ Barbeu Du Bourg, non incelebris. Thierrii cum Bordevio lis coram facultate medica ventilanda fuit, ſed juſſu regio ſuſpenſa fuit deciſio, Bordevio inſtigante,

gante, qui eo ipſo magno ſe opprobrio expoſuit. Primis Junii diebus hinc proficiſci animus eſt Baſileam, Tigurum, alioſque pagos adituro, ita tamen ut menſe Auguſto Bernam redux eſſe poſſim. Vale cum dulciſſima matre & familia mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 4. Maji 1761.

151.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Suaviſſimas tuas litteras nudius tertius accepi, ad illas cito reſpondeo, tum ut ad officia tua apud Grunerum interponere poſſis, tum alias ob cauſas.

Le Sagius Genevenſis & Bacheletius Correſpondentes Academiæ ſcientiarum electi fuere die Saturni elapſa.

Optimi Capperonnerii velim aliquando memor ſis, ad ejus ſchedulam reſpondendo.

Occupatiſſimus his diebus fui, oportuit enim plurimas paginas implere pro diario Eruditorum, cui quoque elaborando nuper adſcriptus fui. Pro Rege ipſo quoque quædam ſcripſi, traducendo ſcripta quædam germanica, & oblatum interpretis munus, cum mille librarum ſtipendio recuſavi,

vi, neſcio quid facerem, ſi triplex ſumma mihi concederetur, nihil tamen niſi Te annuente faciam. Tibi enim omnia debeo.

Vale cum dulciſſima matre & familia, mihique fave.

Dab. Lutetiæ die 4. Maji 1761.

152.

DOMINICUS COTUNNIUS.

Sollicite curavi, ut diſſertatiuncula, quam nuper edidi de aquæductibus internæ auris humanæ, per Cl. Baſſanum perveniret ad Te. Pervenit autem, certe pudibunda tanti viri judicium expertura. Condonabis tamen, quidquid peccatum eſt (eſt autem fortaſſe plurimum) adoleſcentis primum aliquid evulgare auſo, & de re certe non facili in tanto ſeculi ſplendore circa anatomicas maxime res ſcriptitanti. Aggreſſus certe ſum facinus audax, quod ætatis ardor excuſabile reddet. Quæcumque tamen hæc erit, eam Tibi maximopere commendo, & vehementer rogo, ut in tantis temporum anguſtiis, qua publicis, qua privatis officiis litaturus, ſit tempuſculum, quo hæc noſtra expendas. Hoc autem judicium de humanitate tua lubentiſſime fero, Te quid de hoc noſtro labore ſentias, quid judices, facile indicaturum. Neſcio enim, a quo libentius eam judicii ingenuitatem expectam, quæ in aliis quæ paro operibus mihi facere adhibent, quam a Te Viro ſeculi

ſeculi noſtri decore & ornamento, & Anatomicorum maxime perſpicaciſſimo. Avidi tertium Phyſiologiæ volumen expectamus, & perfectum jam opus votis præſtolarum.

Vale Vir Celeberrime, Teque ad Reipublicæ bonum omni ope, quod faxit Deus, incolumem ſerva.

Neapoli 4. Idus Majas 1761.

153.

CALDANUS.

Reſponſiones ad Vandellium ſcripſi absque ira, aut convitiis. Quamprimum prodibit epiſtola anonyma e typis Venetis, & quaſi prodromus alterius, quæ mox ſequetur. Epiſtolam illam jam confeci, & ſpatio unius horæ; ſed multum temporis requiritur, priusquam Veneti Bibliopolæ licentias obtineant pro impreſſionibus: ſpero autem quindecim dierum ſpatio totum opus abſolutum eſſe. Abſonum non eſt, ut in ea civitate, in qua ſautores habet, tales reſponſiones lucem videant. In hac epiſtola ſparſim ago de omnibus, quibus Vandellius injuriam intulit, præcipue vero agitur de Te, ac de me ipſo. In altera, quæ plenior erit, & prodibit nomine Doctoris *Zecchini* amici Bononienſis, omnia examinantur; & certe, ut verum fatear, in ea parum ſudavi: plagiario enim homini facile reſpondetur.

Scribit amicus Fontana, velle ſe operam dare, ut quosdam Antihallerianos ſanitati reſtituat. Sed peto ex Te Vir doctiſſime! ſilebitne Tiſſotus ad . . .? Fierine poteſt, ut ſilentio prætereantur rationes tam infirmæ, argumenta futilia tantum? Tempus deficit, & totum diem impendo, ut le Cat reſpondeam, ceterum Ill. Haenio reſponderem. Aut ego plurimum fallor, aut certe rationes & obſervationes le Catii nobis favent, ut ego demonſtrabo, & quidem evidentia, ut ſpero, geometrica. Interim opus Haenii fecit, ut adverſarii Itali victoriam canant, & monent palam *Haenium hydræ caput excidiſſe.*

Olai Acrell hiſtorias chirurgicas audio ex Te Suecice conſcriptas eſſe; gratias tamen ago, quod hiſtorias ægrorum, & paginas expoſuiſti: Peto autem num Burckarti obſervationes impreſſæ ſint.

Quamprimum litteras ad Te mittam pro Regia Societate Göttingenſi. Addam ea occaſione exemplar epiſtolarum in Vandellium.

Utinam in aliqua Academia vivere poſſim! Praxin medicam exercere nullo modo placet.

Quod me Morgagno commendares, gratus ſum valde; ſed is, nec quisquam alius, apud reformatores Patavii ullo modo valet. Et hi Viri nobiliſſimi propriæ inſervirent voluntati, non publicæ utilitati.

Interim vale Vir doctiſſime! & fac ne adverſarii de . . . opere tantopere gaudeant. Ego omni tempore & uſque dum vivam ero S.

Dab. Venet. d. 23. Maji 1761.

154.

MORGAGNUS.

Multo gratiores tuæ litteræ fuiſſent, Illuſtris Hallere! niſi Te nunciaſſent diuturna podagra, & deinde hypochondriaca affectione laboraviſſe. Sed proxima jam æſtas meliora ſperare jubet: ego certe, & boni omnes enixe cupimus, ut egregia, ſicut mereris, fruaris valetudine. Hac mea ipſe, quantum perſenex poteſt, contentus ſum: nec deſpero, ſi porro valere ſic pergam, me quartum elaboratæ Phyſiologiæ tuæ Tomum, quem ſub prelo eſſe gaudeo, imo & inſequentium fortaſſe aliquem eſſe ſecretum. At meos, quos pro tua humanitate expectas, libros intra annum ex quo accepit, Typographus videtur eſſe abſoluturus. Studioſæ, pro qua potiſſimum ſcripſi, juventuti fortaſſe proderunt. Viris autem doctiſſimis, Tibique inprimis, ex quo cæteroquin multa habent, utinam aliqua ſaltem ex parte ſatisfaciant.

Caldanius, ſi mihi antea per ſe non fuiſſet, ut certe erat, nunc tua, quam plurimi facio, commendatione eſſet commendatiſſimus. Quod & ipſi dixi, cum forte eſſet Patavii, & me conveniſſet nudius tertius. Verum ut res ſe habent, quas perſcribere longum eſſet, necdum pro certo diluceſcit quidquam. Si hic ipſe eſſes, & quæ nos, videres, idem diceres.

Ea vero, de quibus in extrema epiſtola ſcribis, nec vidi, nec videbo, ut qui ſæpe temporis

vix ſatis habeam ad ea, quæ multo potius vellem, inſpicienda, & ſciſcitanda.

Tuæ, quas mihi miſiſti, ad Plancum litteræ, ut ad ipſum tuto perferrentur curavi. Quod reliquum eſt, da operam, Vir Illuſtris, ut valeas. Cum mihi plura alia poſſis, quod gratius hoc ſit, facere nihil potes.

Patavii Idibus Junii 1761.

155.

CALDANUS.

Accepi humaniſſimas Tuas Vir præſtantiſſime & miror Vandellianum opus, atque alia Tibi deſtinata nondum ad Te perveniſſe.

Audi quæſo, ſed pacato animo, quantum poſſint Vandellianæ injuriæ. Reſponſum feceram iniquiſſimæ ejus epiſtolæ contra Te tuosque Sectatores. Erat reſponſio ab injuriis remotiſſima, modeſtia plena. Rationes tantum adducebam, & oſtendebam Vandellium ignorare Logicam, Phyſicam & Anatomen: mendacia ejus publici juris faciebam. Hoc autem totum ex ipſis adductis rationibus ſponte fluebat. Erat reſponſio epiſtolaris, & veluti prodromus reſponſionis alterius magis abſolutæ, & melius elaboratæ. Italico ſermone conſcripta erat. Veneti publici Reviſores eam legunt. Sunt autem hi Reviſores numero quatuor. Tres affirmant poſſe imprimi; quartus, nempe

nempe privatus, electricitatis promotor, & Dictionarii cujusdam autor, patria Patavinus, Vandellii patris amicus, negat impreſſionem, neque contentus, reddit epiſtolam ubique deletam. Rationem quæro, & reſpondent, ſanum eſſe pro me de Vandellio verba non facere. En uſque dum Vandellii plagia deducantur. Epiſtolam adhuc deletam aſſervo, quæ tamen legi poteſt.

Poſtremis hiſce diebus Morgagnum vidi. Monuit de humanitate tua, & ſum gratiſſimus. Poſſet Morgagnus ætate confectus cathedram dimittere; vellet autem dimittere ſalvo integro ſtipendio, quod eſt impoſſibile, ut notum eſſet eum unicum inter Profeſſores Patavinos id aſſequi potuiſſe. Conqueſtus eſt, quod ad finem epiſtolæ meæ ſecundæ dixerim Vandellium eſſe *adverſarium violentum*; id quod ego certe non ſcripſi, nec dixi. Aſſerit autem Morgagnus id revera eſſe in additamento, neſcio quo, poſito ad finem ejusdem epiſtolæ. Conqueſtus inſuper eſt. . . & quidem vehementer, quod in gallica verſione prioris meæ epiſtolæ Lauſannæ facta omiſſi ſint Profeſſorum quorundam tituli, puta *Illuſtriſſimi*, *Celeberrimi*, *Doctiſſimi*, *Anatomicorum Principis* & vehementer monuit, ut hanc injuriam publici juris faciam. Proh nefas! Hæc certe a . . . . non expectabam. Sed indulgendum homini ætate confecto, & ſemper ſummo rerum ſuarum æſtimatori. Hæc Tibi tantum amico optimo ac prudentiſſimo retuli; quod certus ſim nolle de his cum Morgagno verba facere.

Vale & me ut ſoles ama.

Dab. Venetiis d. 27. Junii 1761.

156.

JOH. GESNERUS.

Opto ſane ex animo, ut podagræ moleſtiis penitus libereris, & conſtantiſſima ſanitas ad plures annos integerrime redeat. Sunt certe plurimi Medici, qui recte ſibi ab uſu Antipodagricorum potentiſſimorum metuunt. Chamæpityos decoctum cum ſimilibus roborantibus fugavit equidem apud nonnullos noſtrates podagram, ſed in febres deinde lentas, aut aſthmata, aut apoplecticos inſultus inciderunt. Nuper viro juveni fere quadragenario in podagræ & gonagræ paroxyſmis fermentum panis cum emollientibus magno cum levamine applicatum fuit, cum vero poſtea pediluvia adſtringentia ex vino rubro cum herbis & radicibus adſtringentibus adhiberentur, dolore vehementiſſimo in pectoris latere ſuborto intra triduum obiit.

Etiamnum febrium catarrhalium, exanthematicarum & ſimilium reliquiæ plures apud nos vexant, neque me ipſum plene deſeruit.

Vale & me ama.

Turici d. 8. Jul. MDCCLXI.

157.

de LA CHENAL.

Tantis ab aliquo tempore tamque variis negotiis fui diſtractus, ut pro benevolenter communicatis diſſertationibus, vel ſi maxime voluiſſem, citius debitas gratias referre haud potuiſſem.

In itinere Aprilis fine Biſuntium verſus ſuſcepto in variis Juræ tractibus comitatum Burgundiæ percurrentibus præter alias rariores montanas ſtirpes etiam Geniſtæ novam ſpeciem legi Hypericifoliæ ſimilem, in Emendationum tuarum ſecunda parte deſcriptam. Mahaleb in montibus illis ubique copioſiſſime creſcebat, uti & Eruca cœrulea in arenoſis creſcens, quæ in omnibus antiquis muris & tectis urbium Cherval, Palmæ, Biſuntiique vulgatiſſima eſt. Draba alba ſiliquoſa repens etiam Palmæ in muris & ſetis provenit.

Suaſu fautorum & amicorum quorundam officinam pharmaceuticam Huberianam ad 10. annos in me ſuſcepi, ut partem ſtudii, quod hactenus in Botanicam collocavi, Chemiæ & Praxi, cui me nunc totus addicam, impendere cogar, minime tamen, quantum per otium licebit, neglecturus amœniſſimam hanc hiſtoriæ naturalis partem, inprimis vero agrum Baſilienſem, ut hucuſque feci, diligenter perluſtrabo, ut catalogus ſtirp. Baſil. quem in proprios uſus conſcribo, plenior evadat.

Doctiſſ. Miegius nuper in monte pago Siſſach vicino Violam matronalem ſpontaneam magna copia legit, nec non Ornithogalum ſpicatum, floribus ex albo vireſcentibus. Arabis 3. Enum. Helv. ſ. Heſperidi murariæ ſimilis ſurrecta &c. J. B. ex muro & tectulo Collegii Eraſmiani iterum propullulat, quam ob mutationes ibi factas extirpatam credideram.

Sphagnum acaulon maximum, foliis in centro ciliaribus, nuper Montbelgardi legi; Sedum arvenſe flore rubente utique quinque tantum ſtaminibus præditum eſt, ut iterato experimento obſervavi. Cyma ſimplex eſt, bifida vel ut plerumque trifida, flores ad caulem penitus ſeſſiles remoti, alterni, minime axillares, licet foliis miſti ſint. Caulis ex radice valde ramoſus, vel potius multi ex una exigua annua radice caules ſubrubentes, uti tota planta pallide rubro colore gaudet. Petala alba, lanceolata, acuminata, carinata, dorſo latiuſcula purpurea linea percurſo. Staminum apices rubri; calycis folia minima, lanceolata. Tota planta vix 3. vel 4. uncias excedit, & exceptis foliis ſubhirſuta eſt.

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Dabam Baſileæ die 11. Julii 1761.

158.

JOH. GESNERUS.

Plurimum gaudeo de ſanitate tua tantum confirmata, ut adeundis alpibus par ſis. De Geranio ad phæum accedente griſeo, non facile ſtatuo utrum varietas ſit, cum non viderim.

Hirzelii verſio his diebus prodiit, & apud nos avide & cum fructu legitur. Abſoluta erat, cum litteræ tuæ advenerunt; itaque Burkardiana obſervatio opuſculo huic jungi non poterat. Ea vero inſerta eſt Actis Societatis noſtræ phyſicæ; ſimul in Scholio, ubi de irritabilitate agitur, tuæ apologiæ mentio fit. Hæc etiam verſio ea forma & typis impreſſa eſt, ut cum his Actis jungi poſſit.

Quæ Viennenſes de . . . inſultibus cogitant, ex epiſtola Ill. Störckii ad Schinzium meum d. 28. Julii ſcripta patet. Ita enim ſcribit. Quod . . . . attinet, dolemus & nos ſummopere, quod adeo incaute, præcipitanter & . . . . agat. Rogavit eum perhumaniter Ill. van Swieten, ne tricas contra immortalem Hallerum vel contra alium moveret, verum impediri non potuit. Homo optimus ſuis opinionibus rapitur adeo in ecſtaſin, ut neque rationem neque conſilia audiat; ſed videat ipſe quomodo omnibus poſſit reſpondere, ſatisfacere.

Vale & me uti ſoles ama.

Turici d. 12. Auguſti 1761.

159.

GOTTL. EM. HALLERUS, Filius.

Gratiſſimæ fuerunt tuæ litteræ, quæ de tua, Tuorumque valetudine certiorem me reddidere. Mappas jubes comparandas mihique id negotium imponis Optime Parens, ſatisfaciam oneri & libenter, ſed tempus opus eſt, cum difficulter corradantur. Plurimæ ſunt mappæ helveticæ, ad centum ipſe poſſideo, centumque & plures alias vidi, interim tamen facilis erit delectus, Sanſonianas de antiqua Helvetiæ mappas, de l'Islianam & Scheuchzerianam procul dubio habes, & Danvillius novam expectare ab ipſo nos jubet. Tigurini pagi optima mappa videtur Gygeriana, cujus in opuſculo meo mentionem injeci, alia eſt rudior ſed bona quoque & facilius invenienda. Bernenſis pagi optima procul dubio eſt Schepfii, horrendæ molis & rariſſima, ſunt & aliæ Pleppii, Zollingeri. v. d. Aa. &c. Lucernenſis nulla exiſtit præter miſerrimam illam Walſerianam. Quatuor pagorum ſilveſtrium mappæ particulares novi nullas præter Seuterianas, & Scheuchzerianas, quas Itineribus ſuis alpinis inſeruit. Glaronenſem dedit Jo. Henr. Tſchudius Chronico ſuo Glaronenſi additam, & recuſam a Seutero. Baſileenſem dedit Brunnerus, meliorem dabit proxime optimus Brucknerus, autor pulcherrimæ illius pagi Baſileenſis deſcriptionis. Friburgenſem edidit Fr. Peter v. d. Weyd, ſed albo Corvo rariorem, eſt tamen penes me. Solodorenſem novi nullam, Scaphuſinam

ſinam optimam dedit Peyerus quatuor ſoliis, & optime reduxerunt illam nuper Homanni hæredes. Abbatiſcellanam dedit Walſerus ut & Rhæticam, etſi hæc optima non ſit, ſunt plures aliæ ſed rariſſimæ & aliis operibus maxime inſertæ. S. Gallenſem novi nullam præter Scheuchzerianam de Toggico Comitatu facile inveniendam. Epiſcopatus Baſileenſis Mappam habes inter Sanſonianas, ajunt tamen parari aliam de valle Grandis Vallis (Münſterthal). Conſtantienſem nullam vidi nec Mullhuſinam nec Rothwilenſem. Valeſianam nullam præter illam quæ Atlanti Cornelii a Judæis inſerta eſt & Munſtero. Genevenſes habes varias inprimis Chopijanam, Neocaſtrenſem dedit Merveilleux a Buachio paucis inde annis renovatam. Loupii Mappam vom Oberland noſti ut & Gruneri noviſſimam de montibus glacialibus. Hæc ſunt quæ memoria ſola mihi innotuerunt, plures enumerare poſſem, ſi catalogus meæ collectionis apud me eſſet. Jam quid mihi faciendum ſit jubebis.

Difficilius erit quæ de homine jubes inquirendum, qui Rhætiam, Engadinam & Vallem tellinam botanices cauſa peragraret. Niſi omnia me fallunt, Schultheſſius de Hottingen Hiſtoriæ naturalis Cultor inſignis idem iter proximo anno ſuſcipere cogitat, loquar cum ipſo, ſi ob Martis negotia hic jam celebrata id licet, cum vix domi inveniendus ſit. Si loqui non licet ſcribam, ipſi vel Zieglero Vitodurano, qui itidem Cultor ejusdem eſt ſtudii. Ambobus vero locuples eſt ſuppellex,

pellex, ita ut propriis potius ſumtubus quam alienis hoc iter ſuſcipient.

Hirzelius amiciſſimus homo & emunctæ naris defenſionem tuam contra . . . . objectiones germanice reddidit, ſi jubes mittam tot quot volueris exemplaria. Emendationes vidi apud Gesnerum Enumerationis tuæ helveticæ tres & Catal. plantarum rariorum helveticarum; primas Emendationes dedit Tſcharnerus, ſecundæ vero & tertiæ mihi uti & Catalogus deficiunt, magnoque me beares beneficio, ſi velles exemplar illorum ſcriptorum communicare, ut parti hiſtoriæ naturalis bibliothecæ meæ addere poſſim. Diploma quoque Göttingenſe an interciderit dubius hæreo, quidve inde expectandum ſit, averem ſcire. Die Saturni proxima Tugium proficiſcor, ubi apud Zurlaubenium Baronem & Brigadierium in exercitu gallico commorabor, qui ditiſſimus eſt rerum helveticarum, per quindecim vigintive dies ibi morabor, inde per Brugg & Biberſtein domum petiturus, ut & propriis ſatisfacere poſſim negotiis.

Vitoduri ante aliquot dies fui, ibique vidi celeberrimam ſane virginem Reinhartiam, rerum mathematicarum peritiſſimam, at vacillantis valde valetudinis. Innotuit mihi illa a Daniel Bernoullio, qui ipſe dixit illam omnibus fere (Clairautio, Eulero paucisque aliis exceptis) Mathematicis præferendam eſſe. Problema reſolvit difficile de linea, quam navis ſequitur, quæ aliam navim aggredi

aggredi conatur, & Maupertuiſianæ reſolutioni plurima addidit, multaque in illa correxit.

Sed ſatis eſt nugarum: Vale Optime Parens cum matre & familia mihique fave.

Dab. Turici die 19. Auguſti 1761.

160.

CALDANUS.

Accepi nuper reſponſum tuum ad . . . Legi ſumma cum impatientia, admiratus ſummopere doctrinam non tantum, quæ Te ipſo digna eſt, quantum modeſtiam atque urbanitatem erga . . ., quæ ambæ ſunt maximæ. Tanto magis in his emines, Vir præſtantiſſime, quod epiſtola Profeſſoris Viennenſis apud Te eſt, in qua . . . plagium eſt ubique retectum.

Ea occaſione accepi epiſtolam Butinii, & Diploma Academiæ regiæ Göttingenſis. Pro omnibus gratias perſolvo maximas; ſed exoro, ut facias me receptum iri etiam in Academiam regiam Londinenſem. Non ſum vanus, neque honoribus intumeſcere volo. Id tantum deſidero, ut, ſi quæ forte occaſio ſeſe offerat ad cathedram aliquam, poſſim inter alios eam facilius, ſi fieri poteſt, obtinere.

Quantum in aure laborem nec dicere ſatis eſt. Forte quod inveni minimum eſt. Sed typis non mandavero, niſi prius obſervationem pluries confirmavero,

firmavero, & videro opuſculum Cotonei Anatomici Neapolitani, qui, ſi vera ſunt quæ ſcribunt amici, eadem vidit, quæ ego ipſe, ſed citius edidit.

Averem ſcire num adhuc accepiſti quæ Tibi jam diu curavi; nempe Vandellii opus, tractatum de Scorbuto, & diſſertationem de Polypo.

In tomo tertio Phyſiologiæ tuæ ſubeſt error citationis. Is eſt pag. 134. not. *u.* neque enim obſervationes illas in equo inſtitui. Ignoſce quæſo: ſed adverſarii magnifaciunt errores iſtiusmodi. Errorum tabula deeſt in hoc tomo, & forte addi poſſet tomo quarto. Ita quoniam recudis priorem apologiam, ſciendum eſt Vineaferrum & Burghium Bononienſes Medicos eſſe, & ſectionibus anatomicis addictos: addo litteras ad Sodales Academiæ Göttingenſis. Apertæ ſunt. Oro ut prius legas, & ſi opportunas judicas claude, & mitte ad Academiam.

Vale Vir Optime ac Celeberrime, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Venetiis die 5. Septembris 1761.

161.

BERDOT, Filius.

Multi licet in Muſcis noſtris ordinandis fuerimus, non pauci tamen ſuperſunt nobis anonymi; omnes Montbelgardo valedicens exportavit amicus

amicus La Chenal, quo libris inſtructus aptioribus promptior in denominando foret. Scribam, ut omnes Rupem mittat. Nihil toto vere novi reperi præter Cardaminem hirſutam, Aphacam Lob. aliquot gramina, novasque utriusque Chryſoſplenii & Digitalis luteæ magno flore, patrias. Occurrit quoque in montibus Burgundicis inter Baume & Fontaine, Geniſta caule decumbente ramoſo foliis ovatis petiolis unifloris longiſſimis Catal. p. 42. ad 768. Exhauſtum fere, ſi Lichenes & Fungos exceperis, credo agrum Montbelgardenſem; quadriennis meſſis 1000. incirca ſpecies ſuppeditavit.

Ab ineunte Junio ſævit hactenus apud nos dyſenteria, raro febrilis, ſemper autem cruenta, pauciſſimis parcens, paucis vero niſi plane neglectis vel male habitis exitialis; his gangræna inteſtinorum, hydrops, articulorum dolores admodum rebelles, ophthalmiæ &c. ſuperveniunt. Profuit ſtatim ab initio infuſum Ipecacuanhæ, partitis vicibus ad vomitum uſque propinatum, morbumque fere omnibus in herba ſuffocavi. Aliis, quos morbus jam a biduo triduove premebat, manna in lacte ſoluta & nonnullis altero die iterata, conduxit; aliis ſed minus profuit rhabarbarum varia forma. Mira dein præſtitit Laudanum liq. ſyd. cum largiori uſu ſolutionis vel mucilaginis potius Gumm. Tragacanthæ vel & ſeminum Cydoniorum, profuerunt quoque enemata ex amylo & lacte. Pro cibo fuerunt oriza cum cruribus vervecinis cocta, pulticulæ ex farina orizæ. Panatellæ,

natellæ, juſcula ex farina toſta f. lacticinia multa cum ovi vitellis ſubindeque ſaccharo. Pro potu fuit hydrogala tepida, vel ptiſana ex rad. Alth. conſolid. major & pauxillo Gummi. arabic. Nocuit vinum, nocuerunt juſcula carnea, recidivisque anſam dederunt. Stomacho & inteſtinis tonum reſtituerunt TRa Catech. aquoſa, vel TRa Rhabarb. cum vino Malvatico vel Burgundico, nec non Cort. Peruv. Corcicem Simarubæ aliquibus dedi exiguo cum fructu. Vitrum antimonii ceratum non auſus ſum experiri.

Pulverem turionum Betulæ exſiccatorum & cum Conſerva roſ. rubr. propinatum, ſummis mihi extulit laudibus Anglus quidam Medicus ex Ægypto redux, experiri ob pulveris inopiam non potui; prodeſt forte ob ſuccum therebintinatum.

Nuperrima quæ obtuliſti tua Botanica, Emend. & auctuaria I. II. III. Catalogumque habuit apud nos vivens La Chenal, ſed valedicens exportavit, neſcivi unde accerſerem, iisque ævum carebo, niſi tua vetuerit liberalitas.

Vale Vir Illuſtriſſime, Excellentiſſime, Celeberrime, & favere perge.

Scribebam Montbelgardi die 11. Sept. 1761.

162.

LUDWIG.

Acris controverſia Pottium & Juſtium intercedit, ut mihi videtur Viris ingenuis indigna. Exterorum ſcripta ob vilem, quæ in noſtris regionibus eſt, monetam duplo cariora ſunt, & nihil eſt quod eruditorum lucrum augeat, cum potius ſoſtra imminuantur. Triſtiſſimam igitur eruditorum ſortem, quam hac ex parte Tibi depingi & aliis forte & domeſticis rebus triſtiorem depingere poſſem, ſed rebus in anguſtis animoſus absque fortis appare Horatianum eſt dictum, quod ſemper mihi ob oculos pono: nec ex parte naturalis philoſophiæ, ſed ex chriſtianæ fidei fundamentis conſidero, me committens providentiæ divinæ, qua ſuffultus multa præſtiti, & quæ dum ſanitatem mihi hactenus præſtitit illibatam, dum vires animi & corporis conſervavit, certe ſemper felicem me reddidit.

Daniæ Flora Oederi ſplendida initia oſtendit, continuatio difficillima erit vel nulla, niſi regiis ſumtibus plane ſuſtineatur. Nec inſtituti ratio mihi omnimode placet, cum ſine ordine habituri erimus tabulas, quas non ego, ſed forte filius, ſi botanica amat, in ordinem redigere poterit. Hac ipſa æſtate Flora mea non exigua fuit, acceperam ab amicis pulchra ſemina, & florentes vidi Perſicam roſeam, Browalliam, Melochiam, Milleriam perſicæ folio, & alias plures, quæ etiam ex

parte ſemina dederunt matura, & plura dediſſent, niſi ſub initium Octobris magnum gelu incidiſſet. Tu vero in tranquillo patriæ ſinu hæreas felix, ſalvus atque ſoſpes, in cultura ſtudiorum ſtrenue pergas, nec veritatem indagando timeas contradictiones, non noſtra tempora ſed futura judicium de noſtris laboribus ferunt æquum. Vale & me ut ſoles ama.

Dabam Lipſiæ die XII. Octobris 1761.

163.

ACHILLES MIEG.

Tarde demum ſcribo, cum ægrotorum curæ toto hoc anno vix tantillum temporis aliis negotiis reliquerat. Debuiſſem id facere, quo tempore Filius tuus hinc abierat; ſed nihil tum, quod ſcriberem, habui, aut quod mitterem, neque etiam nunc, niſi quatuor plantulas, olim cum aliis circa Farnsburg lectas, quas ante plures jam ſeptimanas per La Chenalium a me petiiſti; quibus decem alias addidi, partim in litteris prioribus memoratas, de quibus dubium Viro Illuſtri ſupereſſe potuiſſet, partim hoc anno lectas; quas in faſciculum colligatas per amicum Bernæ Dno. Zeerleder tradendas curavi.

Errata in Emendationum tertia parte, ſi forte miſeris, Actorum volumini quinto ſubjungenda curabo. Id vero pro commodo tuo facere poteris,

ris, cum lentiſſime progrediatur obſervationum collectio, idque volumen vix ante annum ſit appariturum.

De variolarum inoculatione per binos annos nemo apud nos amplius cogitavit. Tandem prægreſſo vere illa denuo in pulchella virgine (170. ſubjecto) felici cum eventu a me parata fuit.

Per totum hujus anni decurſum unus morbus epidemicus alterum continuo excepit. Nunc dyſenteria ab aliquot menſibus creberrima eſt, & præcipue in pagis ditionis noſtræ maligna; quapropter ad devaſtationem inde oriundam, quantum poſſibile foret, cohibendam, jam bis a magiſtratu rus miſſus fui. Vidi hac occaſione, ſicut in aliis ejusmodi epidemiis, cardinem curaturis in ſufficienti evacuatione conſiſtere, & opiata deinde magno cum emolumento dari poſſe; ſed præterea Gummi arabicum, ſat magna copia in potu ſolutum, vim demulcentem egregiam exſerere; &, ubicunque adſtringentia ſecure adhiberi poterant, ſimplicem glandium pulverem pretioſiora pharmaca roborant, & ſtyptica virtute facile præcellere.

Vale Vir Illuſtris, mihique favere perge.

Dab. Baſileæ d. 14. Oct. 1761.

164.

NICOLAUS ROSEN.

Ex litteris tuis non ſine magna voluptate intellexi, Te recte valere, proque more ſolito in medicinam, hiſtoriam naturalem & patriæ tuæ commoda pertractanda illuſtrandaque multiplici nomine incumbere. Tomum ſecundum Phyſiologiæ tuæ perlegi quidem gratulabundus, at exemplar mihi transmiſſum nondum accepi, neque quintum & ſextum Tomum de partibus irritabilibus & ſenſibilibus, neque Tom. 7. Diſput. practicarum. Velis itaque rogo, ſignificare, per quem hos tuos fœtus huc perferendos curaveris, quo illorum quam citiſſime fiam compos. D. Beylon Reginæ clementiſſimæ gratia fruitur ſingulari: nec mirum, quippe iis eſt dotibus & naturæ & ingenii & morum præditus, ut ſummum illum favoris gradum non poſſit non cum laude tueri apud Reginam litterarum amantiſſimam, inprimis cum ſe non immiſceat negotiis vel aulæ arcanis, ſed totus ſibi ſuisque curis addictus vivat, id quod eſt omnino Viri prudentis. Idem Beylon, uti opinor, Tibi indicavit, quanti Te faciat Pallas noſtra hyperborea, quemadmodum ſingulos Medicos Svio Gothiæ Tui admiratores habes, idque optimo jure. Dn. Waltravers, una cum Ruſſis, ſuæ fidei commiſſis, per hiemem heic eſt commoratus: nuper vero in Angliam abiit.

Virum

Virum nobis pergratum perquejucundum deſideramus magnopere. Ruſſi nobiles, quos nominavi, domum properarunt. Scripta Svecana & diſputationes habitas Dno. Wargentin Tibi tradendas miſi, quemadmodum Dno. Waltravero ſingulorum indicem monſtravi. Librum Dni. Nordencrants, regni Politicam ſub examen revocantem, & in comitiis, quæ nunc aguntur, multum turbæ & ventilationis in utramque partem excitantem, crediderim Tecum a Dno. Beylon, uti promiſerat, eſſe communicatum. Inoculationem Stokholmiæ hoc anno feliciter eſſe peractam ſcias. Variolas hac ratione feliciſſime ſuſtinuit filius poſthumus Comitis Brahe. In locum beati Dni. Elff ſuffectus eſt Dav. Schulz cum titulo Profeſſoris artis obſtetriciæ. Hanc Medicinæ & Chirurgiæ partem Stokholmiæ publice docet. Cum ordinibus Regni in gratiam rediit amicus noſter von Dalin: ejus IIIum. Tomum Hiſtoriæ Regni Sueciæ proximo vere mittam. Principi juventutis, ut Informator, adhuc inſervit Dn. Klingenſtierna. Demotum ex officio Regis Regnique Senatorum lib. Baronem Scheffer nuper revocarunt Ordines Regni. Pulvere Dni. Plunket ſcirrhos, cancros occultos & apertos feliciſſime, ut ipſe vidi, extirpare & ſanare pergit Dn. Dr. Bierchen. Adhuc ignota eſt planta unde præparatur, nec vera eſſe poteſt compoſitio, quam tradit p. 287. autor of the chirurgical Pharmacy, illam enim ad ʒij deglutire vidi Dn. Bierchen. Almam pacem poſcimus omnes, utpote litteras & culturam patriæ inſigniter promoturam. Te, ut ſemper, ita in poſterum,

 rum,

rum, amiciſſimum colam ſuſcipiamque, futurus, dum vix ero Tibi addictiſſimus.

Upſaliæ die 1. Oct. A°. 1761.

165.

MORGAGNUS.

Mercator, de quo litteris ſcripſiſti 10. Auguſti ad me datis, Patavium, quod ſciam, nunquam venit: fuiſſe Venetiis, ex hoc conjicio, quod inde tandem faſciculus allatus eſt ille, quem, ut ad Plancum ſpectantem, Venetias ad Paſqualium Bibliopolam remiſi, qui per nautas, ſicut Plancus ſæpius mihi ſignificavit, curare ſolet, ut quidquid ad ipſum attinet, Ariminum afferatur: epiſtolam vero ad eundem tuam, ne, quod mihi ſæpe accidit, hinc Venetias, inde Ariminum per hos, illosque tabellarios miſſa intercideret, per certum hominem in patriam meam perferendam curavi, unde ſerius quidem, ſed tutius, Ariminum perveniret. Mercatori, ſi huc veniſſet, nonnulla viciſſim dediſſem, ut admonueras, inprimisque faſciculum, quem pridem a Planco habeo, ad Te mittendum, ſicut data occaſione faciam; ne enim, quia medicus eſt, facile periret, ſtatueram ſimul cum meis libris jungere, tandem aliquando è typographia egreſſis; niſi Typographus, qui jam antea ex me ſciebat, eorum exemplar a me Tibi, Vir Illuſtris, præcipue deberi, recta in Helvetiam

ſuis

ſuis cum libris ad Bibliopolam miſiſſet, a quo Tibi redderetur, cujus Bibliopolæ nomen in calce addam litterarum harum. Tu fac humanitate qua ſoles, excipias, & cum aliquid otii erit, ipſum verſando, gratum meum erga Te animum libenter agnoſcas: & cum aliquid de meis ſenilibus hiſce lucubrationibus reſcribes, certiorem me facias, an Schreiberus Petropoli adhuc vivat; nam de ejus morte aliquid tunc demum inaudivi, cum præfatio ad librum quartum meum jam typis eſſet impreſſa. Cur ad ipſum illam, ad aliosque cæteras præfationes direxerim, ex univerſali præfatione, quam perlegas cupio, ſatis apparet. Alia, ſi me vita, & valetudo non defecerint, nempe Miſcellanea partim necdum edita, partim recuſa, quorum pleraque in promptu jam ſunt, typis dare in animo habeo, primæque eorum parti illuſtre tuum nomen præponere; ne moriar ingratus.

De Caldano recte judicas, nec ego aliter; ſed ut res hic modo ſe habent, plus in præſentia optare poſſum, quam efficere.

Quod in extrema epiſtola ſignificas, omnino placeret, ſi qui in patria regione minus recte valuiſti, in tam diverſa egregie Te valiturum ſperarem, neque occupationes illas novas impedimento futuras, ne æque cito eximium tuæ Phyſiologiæ opus, maximo cum detrimento Facultatis noſtræ, perficias. Sed quidquid de Te ſtatueris, Deum veneror ut fortunet. De quarto ejus operis volumine quod ſignificaſti, pergratum fuit,

 ut

ut ea quoque fuerunt grata quæ cum faſciculo miſiſti, de quo ſupra dictum eſt, pro quibus gratias ago. Rurſus Deum precor, ut Te, Vir Illuſtris, ubi fueris, nobis, & mihi inprimis, Te ex animo redamanti, incolumem ſervet.

Dabam Patavii 31. Octobris 1761.

Bibliopola certiorem me facit, opus quod impreſſit meum, per Dum. Joſephum Galeazi Mediolanenſem (Bibliopolam opinor) aut Bernam ad Tuos, aut Tigurum ad Cl. Geſnerum, a quo habebis, perventurum.

166.

CALDANUS.

Poſt longum ſilentium accepi tandem Vir Celeberrime, litteras tuas 12. Auguſti datas. Quo facto contigerit, ut tam ſero ad me pervenirent, plane ignoro. Illud non ignoro eas, tabellariorum injuria, pene in fragmenta divulſas ad me perveniſſe; ſic ut vix aut ne vix quidem verbum aliquod intellexerim. Audivi tamen accepiſſe Te Vandellii opuſculum; ſed cum eo & tractatum de Scorbuto, & diſſertationem de Polypo narium, & epiſtolam ad illuſtres Socios Göttingenſes accipere debebas. Fac ut ſciam utrum hæc omnia ad Te pervenerint.

Unum

Unum etiam vel alterum intellexi, aut ſaltem mihi videtur intellexiſſe. In reſponſione ad Vandellium malles me nova facere experimenta. Me certe labor nullus terret, ſed pericula facere poſſem in animalibus tantum. Periculis iſtiusmodi non repugnant adverſarii. Afferunt experimenta in hominibus capta, in quibus, ſi quid ego judico, deſunt perpetuo circumſtantiæ, quæ ſi adeſſent ut adeſſe non poſſunt, quæſtionem dirimere poſſent omnino omnem. Cæterum, ut adhuc Venetiis ſum, ſi placet, poſſum experimentorum teſtes Collegii medici plures Socios habere. Morgagnus viginti lectionibus anatomen abſolvit; quid expectandum a ſtudioſis? Sed redeo ad Vandellium. Is ignorat non ſolum Logicam; nam epiſtola ſua audax & iniqua fallaciis eſt plena; ſed quod pejus eſt ignorat ſe hominem eſſe. Non ſum ſollicitus reſpondere tam cito. Cum obſervationes de auditus organo complevero (in quibus jam diu laboro, & in quo opere icones requiruntur, præſertim de aquæductu Fallopii non parum in figura diverſo, ab eo quem pinxit Valſalva noſter & adoptavit Morgagnus) erit occaſio reſpondendi: præcipue cum de Chirurgo Gallo le Cat plura dicam, oſtendendo obſervationes ſuas nihil probare, atque alias ego afferam partim a me, partim ab aliis in homine factas, ex quibus abſque ulla dubitatione colligitur perioſteum, & tendines ſenſu omnino carere. His obſervationibus unam addam poſtremo ab amico Profeſſore Patavino accipiendam, & factam in Clariſſ. Marchione Poleno Phyſices & Matheſeos Profeſſore

 nuper

nuper improviſa morte perempto. Mortis cauſa in pericardio reperta eſt, quod quatuor libras ſanguinis continebat; ſed intra cranium totam meningem piam craſſam & calloſam invenerunt, ſic ut integra ſeparari potuerit ex univerſo cerebro, abſque hujus viſceris ne minima quidem laceratione. Videtur obſervatio a natura facta contra le Cat, & ſectatores ſenſus meningum. Neque enim calloſitas hæc recens facta credi poteſt, & tamen Polenus ſenſibus, dum viveret, perpetuo valuit. Quæ ergo ſenſationum ſedes in meningibus? quid de imaginariis nervis piæ intra calloſam ſubſtantiam ac duram in hoc caſu coaleſcentibus? ſimiles atque aliæ obſervationes, quas, ut paulo ante innuebam, collegi, deberent, ſi quid ego judico, ſatis eſſe; &, quamvis abſque experimentis deberent iſtiuſmodi refutationes legi non frigide. Venio ad Morgagnum. Poſtremis litteris ad me datis amorem oſtendit erga me; ſed huic amori repugnat altum ejus ſilentium de opere ſuo nuper edito, de quo ne verbum quidem mihi ſcribit, & quod aliis dono dedit, mihi vero non dedit. Non ſum de dono ſollicitus, quamvis & eſſe poſſem, propterea quod pluries mandatis ejus obſequens fui, renuens quemcunque ſumtum requiſitum in obſequendo. Video, quotidie video verum dixiſſe ingenuos ac doctos Collectores Bernenſes, cum in Excerpto III. anni tranſacti referentes ſupplementum Collectionis Bononienſis, hæc habent: *Ex nulla re melius, quam ex hac opuſculorum collectione, cognoſci*

poteſt,

poteſt, quam ſenſibiles reddiderit & irritatos Italos Hallerianum inventum.

Petis ex me obſervationes neſcio quas, nam ob epiſtolam pene laceram non ſatis intellexi mentem tuam. Niſi moleſtum eſt, clarius rem expone, & ſtatim habebis quod quæris.

Utinam (exclamas) *noſtræ religionis eſſes!* Poſſem Tibi pulcherrimam cathedram . . . . Sed quæſo etiam . . . . requiritur, ut Profeſſores religionem colant, quam colunt . . . . Apud Italos res non ita eſt. Habemus & habuimus Patavii Profeſſores Græcos ſchiſmaticos, inter romanæ fidei perſecutores ſecundos pene nemini. Habemus adhuc Taurini. Vivunt ii in religione ſua: nemo torquet eos. Dummodo bene artem doceant vel ſcientiam quam profitentur, & de religione ſileant, quid intereſt Græci ſint, Auguſtani, vel Lutheri ſectatores? Apud Fridericum Magnum Boruſſorum Regem habuimus Maupertuiſium, Algarotum noſtrum, aliosque meæ fidei. Si diverſa religio ad cathedram in Germania obtinendam requiritur, nunquam Profeſſor in hac regione ero; quod tamen vehementer exopto; & ſi minus hoc obtinere poſſum, vellem ſaltem Principis alicujus Medicus eſſe. De religione noſtra fabula narratur, quæ (ſi fides noſtra minus etiam firma eſſet quam revera eſt) ſufficeret ad romanam religionem amplectendam. Fabula hæc eſt Tibi fortaſſe ſatis nota. Erat ſervus quidam hebræus, quem herus ad religionem noſtram adducere volebat.

Volu-

Voluit Hebræus prius Romam contendere, ut quæ ad religionem attinent oculis ipſis uſurparet. Redux in Patriam religionem noſtram amplexus eſt, reliquit hebræam, ob id ait: quod cum obſervaſſet religionis Antiſtites omnia præſtare, ut religionem deſtruerent, hæc tamen conſtans maneret & inconcuſſa. Ergo, concluſit, quid divinum & peculiare in romana fide eſt, cum nulla vi deſtrui poſſit. Sed fabulas dimittamus. Me Tibi commendo Vir præſtantiſſime. Rebus meis fave, & fac ut propius habeas hominem Tibi deditiſſimum & amiciſſimum. Vale Patriæ, Amicorum, & Reipublicæ bono.

Dabam Venetiis die 28. Nov. 1761.

P. S. Cum opuſculum meum de aure, una cum reſponſione ad Chirurgum le Cat, & Vandellium complevero, ſpesne eſt . . . . hic loci imprimere, nempe Bernæ aut Lauſannæ, cum emolumento?

167.

CALDANUS.

Quid mihi agendum ſit, ut Britannicæ Academiæ ſocius fiam, non ſatis intellexi. Audivi oportere Opera mea offerri cum teſtimoniis trium ſociorum, atque Te ipſum, Vir præſtantiſſime, teſtimonia hæc mihi perhumaniter conficere velle. Inde gratias ago Tibi maximas: ſed

ſed quid aliud agendum ſit, iterum dico, non bene intellexi.

Cotunnii opus nondum accepi, etſi Neapolitanus amicus mihi promiſerit: audio tamen ex Te, duos Aquæductus Cotunnium deſcripſiſſe. Hinc metuo valde auctorem hunc eadem vidiſſe, quæ ego vidi, & citius palam feciſſe. En brevem Aquæductuum deſcriptionem, quam adjungo gallice ut ſcripſi, exorans ut videas num conſentiat cum deſcriptione Cotunnii.

L'Aqueductus Fallopii n'eſt pas de la figure que l'on lui donne. Il preſente cette lettre S doucement courbée. A ſa partie ſuperiore ſe joint un autre petit canal, que j'appelle canal acceſſoire. Ce petit canal qui eſt courbé, & qui eſt à coté de l'aqueductus, eſt conique. Son apex, ou ſon ouverture ſuperieure eſt laterale, & tournée vers la feneſtre ovale, à laquelle il eſt comme attaché par un petit filet oſſeux, qui ſe termine au limbus ſuperieur de la même feneſtre. Cette ouverture ſuperieure eſt à peu près de figure male, mais oblongue, & a beaucoup de reſſemblance avec les points lacrymaux, faiſant un petit bouclet en dehors comme les ſusdits points. Sa baſe, ou ouverture inferieure, s'ouvre dans l'aqueductus, avec lequel le parois de contact où le lieu d'union eſt commune, ſi bien qu'on peut dire que l'aqueductus & le canal acceſſoire ſont un même canal compoſé en deſſus de deux, qui about iſſent dans un ſeul. Au reſte la cavité de ce canal

nal acceſſoire eſt inégale non ſeulement, parce qu'il eſt conique, mais encore par ſon diametre, qui change ſans ordre. Otés le ſuperflu oſſeux de l'aqueductus, on verra la vérité de cette obſervation. Son ouverture eſt auſſi inégale comme celle de l'acceſſoire, avec cette difference que la lame oſſeuſe qui compoſe l'aqueductus, & qui en limite la cavité, ne l'embraſſe pas par tout, mais anterieurement, & en bas, elle laiſſe une fente, qui a des levres produites par la même lame prolongée. Dans cette fente s'introduiſent les tegumens du nerf qui parcourt l'aqueductus; & ces mêmes teguments ſont, avec le nerf, collés très fortement aux inégalités interieures de l'aqueductus. En deſcriptionem novi canalis; intra quem quid perpetuo ingrediatur, adhuc definire non poſſum: timebam canalem eſſe pro muſculo ſtapedis: credidi nervum peculiarem ingredi: repetitæ obſervationes timorem ejicient. Portio dura nervi acuſtici ingrediens veſtibulum, intrat per maculam illam tertiam triangularem a Morgagno deſcriptam, quæ macula plurimis foraminulis conſtat. Alia vidi, quæ confirmari debent: ſed Venetiis crimen eſt cadavera ſecare; hinc oportet ut omnes aures Bononia afferantur.

Quod ad Vandellium attinet, metuendum non eſt me non refutare, ea quæ ipſe negat vera eſſe. Scripſi Bononienſi amico, qui pollicitus erat velle cauſam noſtram tueri, ut ſtatim reſponſiones eas reddat, quas tgo ei curaveram. Has in ordinem citiſſime conjiciam. Non erunt profecto aſperæ,

& ſi

& ſi placet curare ut Lauſannæ imprimantur, priuſquam reſponſionem ad le Cat confecerim, jube & mittam.

Sanum autem conſilium eſſet, alteram anonymam reſponſionem imprimere, qualem deceret Vandellium, ut diſceret ea quæ neſcit.

Præcipuum quod corrigendum eſt in tertio tomo Phyſiologiæ ſpectat ad notam (u.) pag. 134. Ibi cum de ſtrangulatis animalibus verba facis, ex quorum pectore nulla aëris bulla erumpit, experimenta etiam a me inſtituta excitas: cum vero hoc facis in nota (u.) ais: *in equo &c.* Hæc autem experimenta a me facta fuerunt, ni fallor, in canibus aut in felibus.

Interim fac ut ex Te ſciam, num reſponſionem ad Vandellium debeam citiſſime Tibi curare nec ne.

Vale Vir præſtantiſſime, & me ſemper ut ſoles ama.

Dabam Venetiis die 12. Decemb. 1761.

168.

JANUS PLANCUS.

Initio elapſi menſis ope Morgagni redditæ ſunt mihi litteræ tuæ humaniſſimæ a d. XIII. Kal. Septembris datæ, & paulo poſt ab ipſomet Morgagno una cum ſuo nuper edito libro, ſatis magno quidem, *de ſedibus & cauſis morborum per anatomen indagatis*, miſſus fuit ad me faſciculus variorum librorum a Te mihi, Vir doctiſſime, deſtinatus, inter quos recenſendi ſunt primo loco tres poſteriores libri ſententiæ tuæ faventes de partibus ſenſibilibus & irritabilibus: in quorum tertio volumine bis mentio fit mei, a Caldanio primum p. 387. & ſecundo loco p. 489. refertur epiſtola mea ad ipſummet Caldanium contra Vandellium ſcripta, quam ex latina gallicam & contractiorem fecerunt editores; pro quibus rebus gratias Tibi habeo, Vir doctiſſime, maximas, atque editoribus ipſis. Legi magna cum voluptate nervoſam, prudentemque & dignam apologiam tuam ad Haenii difficultates. Ita perlibenter vidi tria tua opuſcula botanica, quæ Emendationes, & Auctaria Stirpium in Helvetia continent; ſed lubentius viderem opera tua majora botanica, & valde aveo, ut a Bibliopolis permutationem cum meis editis libris cures, ut prædicta opera tua botanica majora habeam. Ad Morgagnum ipſum cum tabula pretii mitti poterunt, ad quem mittam & meos. Cum voluptate etiam pervolutavi Burmanni junioris libellum de geraniis, & Schmidelii appen-

dicem

dicem ad ipſum de medulla plantarum uſque ad florem pertingente. Butini libellum licet exiguum non adhuc legi.

Vandellii contumeliis, & ſcripto ejus experimentis, & rationibus vacuo, non opus eſt reſpondere, melius eſt neglectum & omnino deſpectum relinquere. Contumelioſa ſcripta deſpecta vileſcunt. Ipſe adoleſcens quum ſit, inclareſcere tentat magnorum hominum inimicitiis, ſed in hac re mox ipſi non eſt gerendus. Ad retundendam tamen ejus audaciam ſufficeret edere *in folio volanti*, ut ajunt, epiſtolam meam latinam contra ipſum ad Caldanium, eamque per univerſum litteratum orbem ſpargere.

Ad reliqua verba, quæ in epiſtola tua poſt mentionem Vandellii & Haenii reperiuntur, reſponſionem non addo, quia legere ea non potui. Si vis, Vir Doctiſſime, ut litteris tuis per omnia reſpondeam, neceſſe eſt, vel, ut per amanuenſem ad me ſcribas, vel ſaltem charta bibula non utaris, in qua characteres præſertim minores confunduntur, ut legi nequeant; παῤῥησία quæſo parce meæ, Vir Humaniſſime, & me uti ſoles, amare perge. Vale.

Datis Arimino pridie Idus Decembris, anno a Chriſto nato CIↃ IↃCC LXI.

169.

DOMINICUS COTUNNIUS.

Si qua unquam ex re, ex tua certe epiſtola magnam cœpi voluptatem Vir Ill. quam nemo niſi plane excors non ſenſiſſet. Labores enim noſtros probari a Te (non dicam laudari, quod pro ſumma tua humanitate facis, & non ſine maxima verecundia agnoſcere poſſum) maximi duco. Quandoquidem principibus placuiſſe Viris non ultima laus eſt. Igitur ut æquum duxi, ſingulares Tibi gratias dicere pro eximia tua erga me voluntate, nec nolui ad ea quæ petere dignatus es reſponſionem differre. Quod itaque minuta vaſcula ſpectat per ſuperficiem ſinus magni ſparſa, ea quidem venulas eſſe, quarum radices a cavea aquæductus veſtibuli membranacea ſunt, & omnes ante actæ, & recentes octo obſervationes conſtantiſſime confirmarunt. Has lymphaticas volui, quia, & lympham deferunt, in cavitatem illam aquæductus a veſtibulo derivatam, & inconſpicuæ ſunt antequam mercurius a cavitate propulſus illas penetrat. Hic vero ſinis multiplex mihi ſemper viſus eſt, ut expoſui (LXV.) In nuperis obſervationibus octo ſemper mercurius a cavitate aquæductus membranacea in venulas tranſiit, quæ in ſanguiferas duræ matris venas ſic inſerebantur, ut ſi ulterius propelleretur mercurius, omnes illarum venarum propagines pervaderet, quod in Tab. noſtra 2da. XXXX. ex parte factum eſt. Nunquam vero obtigit, ut mercurius a cavitate preſſus

preſſus (*ſic*) ſolum has venulas penetraret, quin vaſcula alia ſubiret, quæ eum celerrime & recta in ſinum magnum ducerent: ſic ut preſſum mercurium & replere venas ſanguiferas & fluere intra ſinum eodem tempore conſpexerim. Quando cavitatis aquæductus terminus inferior ſinus magni marginem non attingebat, tum ab eo recta vaſcula in marginem illam penitus conſpexi, in quorum tamen fine exiguos ramuſculos a ſuperficie venientes ſinus magni inſertos vidi. Ut non dubitem, proprios excretorios ductus a cavitate aquæductus in ſinum nullos eſſe, ſed omnes ad venulas eſſe referendos: quandoquidem, qui tales viderentur, vidi ſemper aliunde ramulos alios accepiſſe. Quando autem (idque mihi frequens, & olim & nuper obtigit) terminus cavitatis aquæductus marginem proximum ſinus magni attingebat, tunc recta vaſcula nulla apparere vidi (defectu forte intervalli) nihilo tamen minus mercurium, & venas replere, & præterea plures in ſinum. Aperto autem ſinu in ea parte, quæ ſupponebatur caveæ, in angulo maculam frequenter vidi, in qua non ita levis erat dura mater, & denſa, ut in ſinu reliquo, ſed rareſcens & veluti celluloſo rariſſimo contextu donata, per quam mercurium a cavitate aquæductus preſſum exire vidi. Cera in ſinum injecta, replendo majora vaſa, & per tot vias quot ſcis ad ſinum magnum ducere, ægre claudendas, diffugiendo & antea, & recens nos eluſit.

Quod ad cochleæ aquæductum pertinet, in centenis obſervationibus (quod ſine jactantia di-

dam) nulla vel minima ad hunc diem natum inconſtantia fuit, ſed unico conſtanter exemplo in cavum calvariæ ſupra partem anteriorem octavi paris apertum ſemper obſervavi.

Dicenda Cll. a Turre ſtatim retuli; nullas tamen litteras tuas ſibi perveniſſe affirmavit, aventi maxime tuum de epiſtola, quam circa ſanguinis globulos edidit, atque Cl. . . . . miſit, percipere judicium.

Quartum volumen Phyſiologiæ expectamus impatienter, quod neſcio num prodierit.

Vale Vir Illuſt. & amantiſſimum Tui amare perge.

D. Neapoli tertio Kal. Januarii 1762.

170.

CASP. FRID. WOLF.

Cum litteras tuas, ſummæ humanitatis ac benevolentiæ erga me pleniſſimas, opera clariſſimi Sprœgelii accepiſſem, dubius hæſitabam, num ſtatim reſponderem, gratiſſimum meum animum teſtificaturus, an vero potius, ne ſine neceſſitate in maximi momenti negotiis nimis ſæpe Te turbarem, publicationem tuæ ſententiæ exſpectarem, atque tum mea officia omnia ſimul abſolverem. Hoc ulterius tandem argumentum apud me vicit. Nunc in celeberrimis recenſionibus Göttingenſibus, quæ culpa Diſtributoris Berolinenſis nimis tarde

tarde ad me pervenerunt, nuper tandem, licet præterito anno jam prodierint, ea judicia de mea diſſertatione atque ſententias legi, quæ facile Tibi ipſi Vir Perilluſtris, attribuam. Quapropter maximas igitur Vir Perilluſtris, Tibi & obſtrictiſſimas gratias ago tum pro hacce benevolentia, qua meum ſcriptum perlegere, atque judicium tuum optatiſſimum de eo declarare dignatus es, tum præſertim quoque pro litteris, quas a Te accepiſſe ſummæ mihi ſemper gloriæ eſſe ducam. Laudes, in celeberrimis recenſionibus mihi attributas, quæque præter ſpem certe evenerunt, tuæ potius benevolentiæ erga me ac ſingulari humanitati, quam meritis me debere, certo perſuaſus ſum. Admonitiones vero & præſertim eas, quæ ad tunicas vaſorum ſpectant, haud certe negligenter tractabo; ſed maxima potius cura id nunc inſtituam, ut hæc res, quomodo ſe habeat, novis demum experimentis eruatur. Nimis quoque parcum in recenſendis experimentis me fuiſſe, fateor, dum imminuendorum ſumtuum cauſa ea mox ex promtuario meo eligebam, quæ exacte iis, quæ volui, demonſtrandis ſufficere judicabam. Cæterum Needhami opiniones ex meis laboribus plus firmitatis capere poſſe vix exiſtimem Vir Perilluſtris, ſiquidem ille plane aliam, atque a meis diverſam rem tractavit; qui ſuis infuſionibus non generationem conſuetam animalium perfectorum, quæ concurſu parentum fit, ſed ortum animalculorum microſcopicorum ex putrido, ſine concurſu ſimilium animalculorum factum, non explicare, ſed, quod obtineat in natura, demonſtrare

monſtrare modo anniſus eſt; ego e contrario, de ortu hactenus non differens, conſueram generationem animalium perfectorum & plantarum, non, quod obtineat, demonſtrare, ſed potius ex ſuis cauſis phyſicis explicare conatus ſum. Reliquæ autem, quas ſine ullis experimentis porro Needhamus adjungit, metaphyſicæ ſpeculationes obſcuræ vix attentionem, mea quidem ſententia, merentur. Necne etiam in his illi quicquam mecum commune eſt, quod, ſi operæ pretium ſit, abunde clarum reddere facile poſſem. Cor, quod nullum oriatur in plantis, id, §. 216. verbis quidem nimis conciſis, explicant ea ratione, ut cor generatim oriatur, dummodo vaſa ita formentur, ut ſemper minora in majora & hæc demum in unum commune colligantur, quod nempe commune tum ipſum, cujuscunque cæterum formæ ſit, cor verum exhibet: in plantis vero hac ratione collecta ſeu ramificata vaſa formari nequeant, conſequenter neque cor etiam ea ratione in iis reſultare poſſit. Quare nunc autem vaſa ramificata in plantis formari nequeant, id præcedenti §. 215. jam explicatum erat. Irritabilitatis vero originem etiam adhucdum omnimode me ignorare, lubentiſſime fateor; ergo pulſationis etiam ortum explicare neſcirem, ſed reliqua arteriarum attributa itidem §. 202. 205. ſqq. explicata eſſe cenſeo.

Nunc Vir Periluſtris diutiſſime ſalvus vivas & incolumis, in continuum medicinæ & totius philoſophiæ naturalis incrementum, quæ ſcientiæ dudum

dudum jam meliorem ſui partem tuis laboribus debent. Quam enim nova prorſus, magisque ſolida æque, ac magis jucunda œconomiæ & naturæ animalis facies tua inquirendi methodo apparuit! præſertim cum magnum illud irritabilitatis principium detexeris, quod omnis certe animalitatis primum fundamentum mihi eſſe videtur. Quam vero nunc præcipue gratulor erudito orbi de tanto theſauro, quem in Elementis Phyſiologiæ accipit! His enim univerſa medicina quacunque etiam aliquando forma exculta, aut exornata perpetuo tanquam fixo & immutabili fundamento inniti debebit. Sed ceſſo Tibi hæc dicere, qui magis, quantum ſcientia naturalis Tibi debeat, conſcius Tibi es, magisque quam alter perſpicis. Nunc potius tuo me Vir Perilluſtris ulteriori favori commendo, dum ego perpetuo ero S.

Berolini d. XXIX. Dec. 1761.

171.

ACHILLES MIEG.

Gratiſſimas litteras d. 5. Novembr. præced. anni datas, & nuper etiam rariorum plantarum faſciculum, ſuo tempore accepi. Reſponſionem copioſiſſima practica negotia retardarunt, quibus me totum nunc dedi, niſi quod hyemali tempore, quoties ob occaſionem & tempus id licet, ſubinde aliquot diei horulas anatomicis laboribus adhuc inpendam.

Pro plantis transmiſſis maximas Viro Illuſtri gratias ago, cujusmodi donum eo gratius nunc eſt, quod mihi ipſi nullum amplius tempus ſuperſit, tales porro in locis natalibus colligendi, meamque adeo collectionem, quam inprimis in helveticis plantis, quantum id licet, completam habere deſidero, novis divitiis augendi.

Nullum memini annum, a quo tempore praxin exerceo, in quo plures morbos apud nos habuimus, quam nuper elapſum, in quo ego ſolus 457. ægrotos in urbe tractavi, & ruri ultra 250. dyſentericos. Nunc frequentes ſunt catarrhales febres ſubinflammatioriæ, remediis primo antiphlogiſticis, ſenſim in diapnoica mutatis, non admodum difficulter ceſſuræ.

Jungitur ſubinde Pleuritis aut Peripneumonia, ſed non adeo gravis, ac ſub initio præcedentis anni, in quo aliquoties, ſecundo jam aut tertio Peripneumoniæ die ægros e vivis ſublatos vidi. Neque has inflammationes amplius adeo metuo, ex quo tempore aquæ camphoratæ ſequentis, interne uſurpatæ, egregiam virtutem reſolventem atque diſcutientem expertus ſum: quam olim jam Trajecti ad Moſam frequenter in diſcutiendis inflammationibus quibusdam, externe ſolummodo adhibitam, valde efficacem videram. Recipit nimirum illa Camphoræ affuſis aliquot guttis ſpiritus vini rectificati in tenuiſſimum pulverem tritæ drachmam & Nitri ſubtiliter pulveriſati drachmas tres, quæ ſedulo trita in mortario lapidea probe mixta, additaque recentis ovi dimidio circiter vitello

tello in pulverem æquabilem non ſine aliquo negotio ſubacta, tandem in aquæ communis ſeſquiuncia ſenſim affuſa continuato tritu ſolvuntur. Adulto ſingulis vel alternis horis, prout ægroti aut morbi circumſtantiæ ſuadent, hujus aquæ 20. ſ. 30. guttas in cochleari Julapii aut alius grati vehiculi dare ſoleo, & vaſculum decocti pectoralis calide ſuperbibendum ſuadeo, quamdiu veræ inflammationis, & phlogiſticæ in ſanguine denſitatis ſigna adſunt, venæſectione interim non neglecta. In Pleuritide eadem aqua ſub fomenti forma externe applicata dolorem citius, quam ullo alio remedio diſcuſſum vidi; & in teneriorum etiam infantum, quæ interna remedia recuſarunt, peripneumonicis febribus, eadem dilutiore, pectori & carpis frequenter applicata anguſtiarum & febris vehementiam cito fractam obſervavi; ut dubitem, num penetrantius & efficacius remedium antiphlogiſticum reperiatur. Eadem denique aqua, paulo dilutior, tepide in ore detenta in odontalgia inflammatoria egregie & cito profuit, ſummique frigoris ſenſum in ore reliquit. Commodior vero hæc Camphoram exhibendi ratio videtur, quam ulla alia, quod ingrati remedii doſis unico hauſtu deglutiri, facile augeri aut minui, & grato vehiculo ſtatim ſuperdato corrigi, idemque tandem cum variis remediis pro re nata, commode miſceri poſſit.

Vale Vir Perilluſtris, novoque hoc anno feliciter vive, & præclari nominis tui devotiſſimo cultori porro, uti ſoles, favere perge.

Dabam Baſileæ die 9. Januarii 1762.

172.

JOH. GESNERUS.

Novum munus Gubernii Aquilegienſis ut Tibi & Reipublicæ Deus Optimus Maximus fortunet ex animo opto.

Pictor olim meus Geislerus Auguſta Vindelicorum rurſus diſceſſit, & nunc Genevæ commoratur. Schellenbergius, qui Sulzerianum de Inſectis opus perfecit, nunc Tiguri per aliquot ſeptimanas commorabitur. Pridie cum epiſtola tua ad me veniſſet, caſum feminæ hydropicæ cum Burkardo noſtro communicavi: in rus per biduum diſceſſit ægrorum cauſa, quamprimum redibit ejus conſilium ad Te mittam.

In Maniaca menſe Octobri in Noſocomio noſtro cranium in vertice inciſum eſt, effluxit per aliquot dies ſanies cum levamine, ut etiam ad conſueta munera obeunda par fuerit. Felix ſucceſſus invitavit Medicos noſtros, ut idem experimentum in 5. aliis inſtituerent. Accidit vero præterito menſe, ut prior in acutam febrim cum ſummo circa inguina & axas dolore inciderit, & fruſtra omnibus adhibitis medicamentis tertia die obierit. In capite nil mali ſenſit, delirium vero & convulſiones tertio demum die acceſſerunt. Ileum inteſtinum inflammatum inventum eſt, tum & portio uteri, ovarium vero ſcirrhoſum. Cranium a parte interiori eroſum, & purulenta materia ſub dura meninge. Paucis poſtea diebus

diebus quinque aliæ febri infeſtatæ intra paucos dies obierunt, & ſimilia prorſus in cadaveribus phænomena viſa ſunt.

[Nobiliſſ. Franciſcus Dnus. in Beroldingen, Canonicus Hildeſienſis, qui in Gundelhard habitat, cujus litteras forte ante biennium ad Te miſi, in ſuis litteris ex me quærit, utrum foſſilia quædam ex Bactiacis ſaliſodinis a Te acceperim ſibi perferenda: ei enim aliquando pro humanitate tua eorundem obtinendorum ſpem factam fuiſſe.]

Pergratum erit intelligere, quænam nova ex Suecia ad Te allata fuerint, curabo ut in tincis in oculorum fabricam juxta elegantem tuam manuductionem inquiram.

Amicus meus D. Albertinus, affinis Ottii familiaris & amici mei, Reipublicæ noſtræ Mathematicus, in Geometria practica & Architectura militari & rebus quæ huc pertinent verſatiſſimus, optimorum morum & ingenii, vehementer a me petiit, ut Tibi commendaretur: ſi forte in Præfectura Aquilegienſi aut ſaliſodinis quædam ſuſcipienda negotia eſſent publica, quæ geometram requirerent. Modicum ſtipendium 150. florenorum, quod Magiſtratus ipſi concedit, adeo parvum eſt, ut numeroſæ hereditariæ opes conſumendæ eſſent, niſi alia negotia & reditus ſibi comparare poſſet. Gratus ſane & in ſua ſcientia peritus & exercitatus homo eſt, dignus meliori fortuna.

Vale Vir Illuſtris & Amiciſſime & me perge ut ſoles amare.

Turici ad d. 20. Febr. 1762.

173.

CALDANUS.

Experimenta in cerebro, de quibus mones, cras incipiam. Fideliter adnotabo, quæ mihi in experiundo evenient. Determinabo partem qua læſa convulſiones oriuntur, experimenta deſcribam & ad Te mittam. Reſponſio ad Chirurgum le Cat, una cum altera ad Vandellium, erit foliorum 12. circiter. Id eſt, parum ſuperabit epiſtolam meam ſecundam Lauſannæ impreſſam. Quid eſt vero quod Bernenſes Collectores, poſtquam promiſerint plura dicere de poſtremo Vandellii opere, nihil adhuc dixerint? Tertius anni præteriti Tomus jam ad manus meas eſt; nondum tamen quidquam vidi, quod ad dictum Vandellii opus adtineat. Et tamen exſpectabat optimam illius libri & apologiæ præſertim analyſin.

Fabellam, quam narravi in anteriori epiſtola mea, non ideo narravi, ut crederem, Te amicum præclariſſ. mihi ſuadere, ut religionem deſererem. Honeſtatem tuam agnoſcunt omnes, & ego certe maxime. In eum finem narravi, ut ex Te ſcirem, an fieri poſſit, ut, ſtante religione mea, cathedram obtineam apud exteras gentes.

Accepi tandem perdiligens Cotunnii opuſculum; atque, ut videas, quantum differant a ſuis meæ obſervationes, mitto tabulam cum explicatione. Rogo ut obſerves, & libere dicas num hallu-

hallucinatus ſim. Polliceor de iis quæ videbis conſtantiam omnimodam: reliquum eſt, ut videas quid in acceſſorio aquæductu contineri poſſit. Expecto oſſa recentia ex Bononia; tunc conficiam obſervationes, & curabo detegere, in quem finem pars portionis duræ maculam illam triangularem ſubeat. Obſervabo etiam, num humor labyrinthum repleat an aër: certum tamen eſt (niſi ego plurimum fallor) quod humor ſeu vapor, niſi aër, in iis cavitatibus contineatur; ſecus aër in tympani cavitate contentus & ſemper præſens omnia deſtrueret, quæ intra labyrinthum continentur; ſi verum eſt, ut Phyſici docent, aërem tanto impetu ingredi in loca vacua. Niſi moleſtum eſt exoro ut reddas icones. Nimium laboris impendi, ut delineator omnia adnotaret, quæ ex præparationibus, quas poſſideo, & quæ fructus ſunt laboris non exigui, deſumpſit: ſunt enim iſtiusmodi icones cum aliis in cupro incidendæ, ut ſuo tempore lucem videant, dummodo, Vir Clariſſime, opportunum judices. A Te ipſo omnia pendent; nolui enim Morgagnum ſemper dubitantem, & alia fere ſemper aſpernantem, conſulere.

Vive diu incolumis Vir præſtantiſſ. & me, ut ſemper facis, ama. Iterum vale.

Dabam Venetiis d. 27. Febr. 1762.

174.

JANUS PLANCUS.

Circa finem elapſi menſis accepi humaniſſimas litteras tuas a d. III. Nonas ejusdem datas, ex quibus cognovi, opera tua botanica modo non reperiri, & quæ non reperientur niſi ante aliquot annos. Si pro tua humanitate vis aliquid ad me mittere, poteris vel ad Allionum noſtrum Taurinenſem mittere, vel ad Franciſcum *Brini* Bergomi mercatorem, vel ad Dnos. *Margaroli* & Socios Mediolani mercatores.

Audio Te novis curis pro regendis populis Reipublicæ tuæ eſſe diſtentum, & horis ſubciſivis tantum primaria tua ſtudia colere. Quæ modo colis ais eſſe diſſectiones piſcium, & præſertim eorum oculos, & cerebrum diſſecas. Piſces iſti erunt, ut opinor, fluviatiles, vel lacuſtres, quare majoris molis non erunt, ut ſunt marini noſtri. Ego quoque diſſecui multos piſces, eosque etiam, qui de cetaceorum genere ſunt, de quibus duæ exſtant meæ epiſtolæ cum figuris in Actis Academiæ Bononienſis. Obſervavi piſces, præſertim ſquamoſos, duos lapillos habere ad baſin cranii. Figuras varias dedit horum lapillorum Theodorus Kleinius in ſuo Miſſu primo Gedani anno 1740. edito, & aliquid de eorum uſu dico ego in appendice libri mei de Conchis pag. 100. Si vis ut mittam ad Te lapillos varios piſcium marinorum, & res alias marinas, mittam libenter, & Tu viciſſim

ciſſim ad me mittere poteris lapillos piſcium tuorum fluviatilium, & lacuſtrium, & res alias alpinas.

Si memor es dictorum meorum, cura ut in folio volanti, ut ajunt, edatur epiſtola mea ad Caldanium in Vandellium, quæ relata eſt in Excerpta Bernenſia, & in Italiam ad amicos illos multa exemplaria mitte, ut ad me deferantur, & ego per Italiam univerſam, & per alias regiones curabo, ut diſpergantur ad retundendam adoleſcentis illius audaciam. (Non ſunt miſſa.)

Ad Cotunnium Neapolim, ubi moratur, & non Romam miſi epiſtolam tuam. A Te libenter audirem, quid de aquæductibus Cotunnii in labyrintho ſentias. Nimis verboſe ſcripſit adoleſcens ille librum ſuum de illis agentem, quare quid ipſe ſentiat, valde difficile eſt eruere. Magna tamen cum ingenuitate, & veterum Latinorum more ſcripta eſt Præfatio ſua. Utinam ita ſe geſſiſſet in rei expoſitione. Vale.

Datis Arimino a. d. VI. Non. Martias anno Chriſto nato CIC IϽCC LXII.

175.

JOH. GESNERUS.

Nobilibus a Beroldingen gratiſſima ſemper erunt quæ a Te venient. Nuper experimenta inſtituit cum truttis gelu rigefactis, quas ad vitam reduxit.

Hir-

Hirzelius Archiater Tiſſotianam translationem nuper abſolvit, & præfatione de genuino & ſpurio Medico librum inſtruxit. Hiſtoriam Maniacarum accuratam conſignavit, cujus præcipua contenta ſi velis ad Te mittam.

Albertinus Geometra mediocri ſemper fortuna gaudebit. Cum his diebus ex obitu Wertmulleri Præfecti munimentorum urbis noſtræ, hæc ſparta vacaret, & pleniſſima ſibi ſpes eam obtinendi appareret, Vir nobilis, & Membrum Senatus interioris, eam ambivit, ut omnino Albertinus hujus Ordinis viro cedere deberet.

In ſcrophuloſis effectibus cicutæ uſum ſatis efficacem noſtrates experti ſunt. Tutius omnino remedium erit a Te inventum in camphora cum mercurio & ſulfure aurato antimonii, ſi ejus adhibendi rationem benevole communicaveris.

Turici d. 20. Martii 1762.

176.

CALDANUS.

Curavi ut per amicum Somiſium haberes icones duas. In iis error ſubeſt, quod ſincere fateor. Canalis ille acceſſorius eſt ſinus ille deſcriptus a Morgagno, intra quem reconditur muſculus ſtapedis. Erroris cauſæ duæ fuerunt; nempe obſervatio facta in auribus exſiccatis, & monitum Mor-

Morgagni, qui eum deſcribit, non perpetuo tubulum in variis auribus, quæ non fuerunt paucæ, ſemper hunc canalem concentricum videbam aquæductui, & perpetuo tubuliformem (quamvis id forte perpetuum non ſit). Aures recentes poſt eam obſervationem habere non potueram, quemadmodum nunc Bononia habui, adeoque nunc tantum obſervavi intra eum tubulum locari ſtapedis muſculum; tendinem vero exire ex eo tubulo, & capiti ſtapedis inſigi. Pars hujus muſculi carnoſa vix dilute rubra trianguli formam per ſe fert, & finis ejus immobilis eſt in eminentia quadam oſſea, quæ aquæductum Fallopii & ſinum muſculi ſtapedis intercedit. Icones ſunt promptæ, ut & illæ, quæ in loco oſtendunt proceſſum mallei Folianum, ſeu minimum, revera omnium maxime conſpicuum. In iisdem auribus recentibus quæſivi novos Cotunnii aquæductus: ſed fruſtra: vulpinis etiam ſetis uſus non potui eos invenire. Attamen non deſpero. Curo nunc ut paretur fiſtula anelliana, ut poſſim eos aquæductus injicere; ſed non mercurio, vel ſubtili aliquo fluido colorato, qui tantum viam indicat. Non nego potuiſſe mercurium veſtibulum ingredi, & cochleam, quemadmodum Cotunnius monet; ſed qui pluries in aure inſudavit non ignorat, varias celluloſitates inconſtantiſſimas per aurium oſſa diſperſas eſſe, per quas non impoſſibile eſt, mercurium compreſſum viam ſibi facere. Sed pone labyrinthum vapore plenum eſſe; quæ neceſſitas horum aquæductuum? Sufficit ut tantum vaſa advehant, quantum alia

vaſa revehant. Sed videbimus. Nunc certus adfirmo, intra maculam illam triangularem portionem duram non ingredi. Aut ego plurimum fallor, aut certe mollis portio eam maculam ſubit. Cauſa erroris maceratio fuit. Hæc ita intumeſcere meninges fecit, ut nervum eo loci æmularentur. In recentibus auribus vidi patentiſſime portionem duram dividi in duos ramos, quorum alter canalem vidianum, alter aquæductum ſubit. Super maculam illam vero triangularem pulpam mollem inveni in quatuor auribus, quas nunc recentes obſervavi. Plura dicam de hoc organo, forte non nova, ſed profecto longa obſervatione confirmata quo ad conſtantiam.

Erit locus, ut ſpero, confirmandi obſervationes Cotunnii, vel nonnulla emendanda erunt, aut addenda. Semper autem erit occaſio diſputandi, qui fieri poſſit, ut harmonicos concentus uno eodemque tempore diſtinguamus.

Legi poſtremum Crantzii Profeſſoris Vindobonenſis opuſculum contra Haenium & le Cat. Credo Crantzium authorem illius epiſtolæ ad Te ſcriptæ, in qua narrabat ſucceſſus experimentorum Haenii. Prodibit quamprimum alter Tomus collectionis Bononienſis: concedis ut prædicta epiſtola in eam collectionem prodeat, abſque eo quod appareat Tibi ſcriptam fuiſſe? Faciam quod vis. Tu interim vale, Vir Celeberrime, & me ut ſoles ama.

Dabam Venetiis III. Kalend. Aprilis 1762.

177.

JOANNES TARGIONIUS TOZZETTIUS.

Nobiliſſimus, & optimæ ſpei adoleſcens D. Jacobus Moray, Scotobritannus, annum agens decimum nonum, temperamento ſanguineo præditus, & habitu corporis gaudens optimo, Florentiam ſe contulit exeunte menſe Septembri anni 1761. ut Medicorum quorundam conſilium pro reparanda valetudine ſua jam diu labefacta expoſceret.

Ægritudinis, qua cum colluctatur, primam originem repetit generoſus adoleſcens a peripneumonia, quam ſex abhinc annis perpeſſus eſt, eo potiſſimum, quia in morbi vigore magna ſpirandi difficultate laboraverit, adeo ut plerumque nonniſi ſedens in lecto, & manibus inniſus, thoracem dilatare, & inſpirationem perficere potuerit ſine ſuffocationis metu. Peripneumoniam præter ſpem evaſit quidem, ſed ab eo tempore conqueri cœpit de frequenti difficultate ſpirandi, & cordis palpitatione, præſertim quoties cibis ſe largius impleret, aut vehementiore motu corpus exagitaret. Si quando difficultas ſpirandi, & palpitatio cordis diutius perdurantes nobiliſſimo adoleſcenti moleſtiores acciderint (quod ſex annorum ſpatio pluries contigit), phlebotomia efficaciſſimum remedium ipſi erat, qua adminiſtrata, reſpiratio facilior, & cordis motus æquabilior fiebat.

Hac methodo quinque circiter annis commode ſe habuit, donec Auguſtæ Taurinorum degens circa initium menſis Januarii vertentis anni 1760. eo morbi catarrhalis genere correptus fuit, quod Medici frigus ſuſceptum appellant. Licet autem tuſſi moleſtiſſima diu noctuque vexaretur, nullam ſolitæ equeſtris exercitationis ſpeciem cohibuit, nullam ex Bacchanalibus choreis & comeſſationibus intermiſit. Morbus ita neglectus, immo exaſperatus magnopere increvit: tuſſis, quæ a frigore ſuſcepto originem duxerat, ipſo Bacchanalium tempore fere continua, moleſtiſſima, & convulſiva evaſit cum difficultate ſpirandi, cordis palpitatione vehementi, & calore magno per totum corpus facieique rubore, & eo tandem res devenit, ut nobilis adoleſcens, viribus jam fractis, & morbo prægravatus, lecto ſe committere coactus ſit, & medicam opem implorare. Adminiſtrata phlebotomia morbus de vehementia ſua remiſit, & diæta lactea vegetabilique per plures hebdomadas continuata, evanuit tuſſis, ac imminuta eſt cordis palpitatio, & nonniſi poſt motum vel mediocrem (puta aſcenſum ſcalarum) ipſa cordis palpitatio, & difficultas ſpirandi ægrum affligebant.

In hoc reconvaleſcentiæ gradu generoſus adoleſcens Januam ſe contulit, & cum ab aëris calore cordis palpitationem & ſpirandi difficultatem augeri perſentiſceret, interulam pelliceam ſtatim depoſuit. Ea fortaſſe cauſa fuit, quod Piſas die 14. Maji delatus, rurſus frigore ſuſcepto laboravit, cujus morbi primis quinque diebus febre ac tuſſe

tuſſe vehementi conflictatus eſt, & difficultas ſpirandi, cordisque palpitatio magnopere increbuerunt. Phlebotomia prompte adminiſtrata, & diæta lactea ſtatim inchoata, & ad hanc uſque diem protracta, ſalutarem ipſi opem attulere; nam tuſſem compeſcuerunt, & rariſſimam, brevem, ac mitem effecerunt, ac reſpirationem & motum cordis ad naturalem fere menſuram redegerunt, dummodo tamen æger quieti animi & corporis ſedulo indulgeret. Ita duos æſtivos menſes *Montopoli* in collibus Piſanis D. Moray commoratus eſt, deinde *Fucelii* vulgo *Fucechio* per viginti dies apud D. Joannem Muzzium loci Medicum expertiſſimum; tandem Florentiam pervenit, ubi 30. uſque dum dies commoratus, tempeſtate licet frigida, ventoſa & pluvioſa, multo melius ſe habuit. Tuſſis certe illa propemodum evanuit, quæ a pluribus hebdomadis ſubinde eum infeſtaverat, veſpertinis horis ſicca, matutinis catarrhalis, ſive educens ſputa quædam catarrhalia, viſcida, globoſa, aliquando fuſca, ſublutea, & tantillo cruori commixta, quæ tuberculi alicujus in pulmone latentis ſuſpicionem injecerant.

Hæc omnia præmittenda eſſe duxi, ut præſentis morbi natura facilius decerni poſſit: nec inutile fortaſſe erit adnotare, nobilis adoleſcentis corpus procerum, mediocriter carnoſum, oſſibus magnis, & arteriis amplis præditum eſſe, ejusdem thoracem ſatis amplum coſtis octo veris ſolito latioribus conſtructum eſſe. Sciendum igitur eſt, quoties D. Moray aliquantiſper quietus manſerit,

ſcilicet vel in lecto, vel ſedens, non tuſſierit, non riſerit. 1°. Motum ejus cordis multo vehementiorem perſentiri, quam in aliis hominibus ſoleat, ita tamen ut univerſum cor a baſi ad cuſpidem uniformiter moveatur. 2°. Ægrum cordis ſui motui vehementiori jam aſſuetum nullam memorabilem ab eo moleſtiam pati, niſi quando ob aliquam, vel levem corporis agitationem, aut animi commotionem, cor ipſum ſolito vehementius palpitet; 3°. cuſpidem ipſius cordis non inter quintam, & ſextam coſtam lateris ſiniſtri impetum facere, ſed inter ſeptimam & octavam 4°. coſtas ejusdem lateris ſiniſtri a tertia ad octavam uſque elatiores eſſe, & quodammodo gibboſas, eo loci, quo cartilagineæ adhuc ſunt, & cordi ſeu potius pericardio adjacent. 5°. Diametros arteriarum carotidum externarum, axillarium, carpi & cruralium, omnes majuſculas eſſe, quam in tali adoleſcenti corpore par eſſet, ſed omnes invicem juſte reſpondentes, & proportionatas, ita ut nulla ex his arteriis, nec ipſis quidem carotidibus exceptis, aneuryſmate affecta cenſenda ſit, ſed omnes uniformiter, & ſenſim ampliatæ fuiſſe videantur, ab impetu ſanguinis e corde amplo proſilientis. 6°. Pulſus arteriarum omnium celeres quidem, & magnos, ſed omnino regulares, & æqualiter æquales eſſe, & hactenus ſemper fuiſſe. 7°. Cutis univerſæ colorem floridum, & optimum eſſe, ac ſolummodo genas rubicundiores fieri, quoties generoſus adoleſcens cordis palpitatione ſolito vehementiore affligitur. 8°. Nullum in extremis corporis partibus œdema apparuiſſe; urinas

urinas ſemper bonas fuiſſe, & quantitati aſſumpti potus ad amuſſim reſpondentes. 9°. Animi functiones promptas, & vivaces eſſe, corporis item vires hiſce diebus ſatis vegetas, quamvis æger diæta lactea rigidiſſima a pluribus menſibus religioſe utatur, & a cibis & potibus fermentatis calefacientibus ac cardiacis ſeſe abſtinuerit. 10°. Somnis longis, profundis ac placidis ægrum frui, in lecto ſanorum more, in utroque latere jacentem, nec a motibus convulſivis actum, aut a cordis palpitatione unquam expergiſci, dummodo tamen illa conſuetam menſuram non excedat. 11°. Alimenti quo utitur digeſtionem optime perfici; alvi egeſtiones ſanorum ſimiles eſſe; & ex alimentis, licet parcis, ægrum juſtam ſanguinis laudabilis quantitatem lucrari.

Talibus ſanitatis præſidiis fruitur per hoſce dies nobiliſſimus D. Moray; ſed quotiescunque corpus exagitaverit motu vel brevi, & quod in aliis hominibus nullatenus memoratu dignum eſſet, puta in deambulatione, in aſcenſu ſcalarum domus alicujus &c. quotiescunque item animum laxaverit, longius locutus ſit, & vehementius riſerit, imnani cordis palpitatione ſtatim diſcruciatur, quæ magnum in coſtas impetum facit, & reſpirandi difficultatem ipſi parit. Sola equitatio, & vectio in curru moleſtiam ægro non creant, ita tamen ut ex eodem motu mediocri contentus eſſe debeat, illo enim concitatiore, quemadmodum in curſu publico conſuevit, cordis palpitationi obnoxius ſit perinde ac pedibus iter ageret.

Fortiores morbi paroxyſmi adſtantibus ipſis manifeſti fiunt ob difficilem & ſuſpirioſum ægri anhelitum, ob ejus corporis univerſi vacillationem quamdam, ob genas rubicundo colore ſaturatas, pulſus omnes concitatiſſimos & validos, & ſtrepitum quemdam in latere ſiniſtro thoracis. Hæc autem ſymptomata ocyus vel tardius ſopiuntur, prout motus corporis, vel commotiones animi vehementiores fuerint.

His omnibus attente diuque perpenſis, conjeci generoſi adoleſcentis cor mole ſua plurimum, ſed regulariter auctum eſſe; ita ut non unam tantum ejus portionem aneuryſmate affectam putarim, ſed univerſam cordis machinam juſto longiorem, ampliorem, & craſſiorem eſſe ratus ſim. Non ſatis liquet, utrum morbi ſemina a nativa conformatione originem traxerint, & a peripneumonia ſuperius memorata incrementum ſumpſerint. Satis autem in comperto eſt, morbum novem abhinc menſibus ad acmen perveniſſe Auguſtæ Taurinorum, ob tandiu neglectum tuſſim ferinam, ſimulque ob violentas corporis exagitationes in ſubjecto tum temporis plethorico.

Conjecturæ tamen meæ non ſatis fidens, auctor fui nobiliſſimo ægroto, ut aliorum, & expertiorum Medicorum ſententiam expoſceret. D. D. itaque Balthaſar Collinius, & Franciſcus Tozzettius ex primoribus urbis noſtræ Medicis, accerſiti, ſeorſim ſinguli cauſas & ſymptomata morbi ſedulo perſcrutati ſunt. Die tandem · Octobris

bris conſultatione inſimul habita, unanimi conſenſu pronuntiavimus, pulmones D. Moray ſanos modo eſſe, cor autem ipſius dilatatum, & amplificatum eſſe in tota maſſa ſua, ſed magis fortaſſe in ventriculo anteriori, ſeu ſiniſtro (ita), adeo ut omnia morbi ſymptomata ab hac cordis morboſa magnitudine dependeant. Arterias inſuper, quæ a corde originem ducunt, latiore diametro præditas quidem eſſe, non tamen aneuryſmate affectas deprehendimus. Tanti morbi ſanationem radicali quodam remedio obtinendam promittere nequivimus D. Moray, ſolummodo, quod in nobis erat, methodum moderandorum ſymptomatum propoſuimus, & ſpem fecimus vitæ in ſenectam uſque protrahendæ, abſque gravibus incommodis & moleſtiis, dummodo curæ palliativæ mox innuendæ ſedulam operam navare non gravetur. Præcipua fundamenta ſpei noſtræ ſita ſunt in ipſius D. Moray ætate, quod nempe remotis omnibus cauſis, quæ cordis jam dilatati, & prægrandis, ulteriorem diſtractionem & amplificationem producere valeant, cor ipſum in proxima juventute ſponte, & ſolis naturæ viribus conſolidari ac indurari poſſit, & eum tandem firmitatis, ac roboris gradum attingere, ut morboſus amplius cenſendus non ſit, & munia ſua laudabiliter, & ſine moleſtia diutiſſime exequi valeat, dummodo ſanguinis nimia copia non obruatur, aut ab animi commotionibus, & corporis motibus violentis non exagitetur. Accedit quod coſtæ, & ſterni ſegmenta, adhucdum cartilaginea, thoracicæ cavitatis dilatationem aliquam permittant, & commo-

diorem cordi ac pulmonibus hoſpitium. Hæc omnia aliis quibusdam hominibus contigiſſe ſcimus, & obſervavimus, qui in adoleſcentia morbo haud diſſimili affecti, progreſſu ætatis & exactæ diætæ ope ſenectam feliciter pertigere.

Summa igitur conſilii noſtri pro cura palliativa fuit, ut æger diætam lacteam ac vegetabilem quam diutiſſime continuaret, ad plures etiam annos, præſertim quod animadverterimus, ejus uſu corporis vires & nutritionem nullatenus labefactari. Nauſeæ vitandæ gratia, juſcula carnium vitulinarum, ac pulticulas ex pane, vel farinaceis quandoque admiſimus. Lactis frigidi, ac potuum frigidorum aſſumptionem laudavimus: potiones item ex aqua, ſucco limonum & oxymelle conditas. Chocolatam, coffeam, vina, liquores fermentatos & ſpirituoſos, carnes omnis generis, aromata & alia quæcunque alimenta, vel condimenta ſanguini calefaciendo, & irritando idonea prohibuimus. Hybernos menſes ſuaſimus ut Piſis in aëre maritimo & tepido traduceret, æſtivos autem in collibus Piſanis, vel ſimilibus ruribus, aëre temperato, non tamen nimio tenui gaudentibus. Exercitationes omnes corporis violentas, commotionesque animi validiores, cane pejus & angue vitandas eſſe inculcavimus. Equitationem ſummopere laudavimus, & monuimus, ut thoracem quanto magis poſſet, dilatare anniteretur, cordi prægmagno ſtationem commodiorem paraturus. Tandem ſanguinis parcam emiſſionem laudavimus, quotiescunque plethoræ ſigna a nobis indicata adfuerint.

His

His monitum eſſe voluimus nobiliſſimum adoleſcentem, ut valetudinem ſuam reparare poſſit, & vitam in ſenectam uſque feliciter protrahere, quod ex animo illi voveo precorque.

Mihi transmiſſa Ep. m. Maji 1762.

178.

CALDANUS.

Medicæ occupationes, quæ me, etſi invitum, hucuſque detinuerunt, litteras ad hanc diem retardarunt. Adde quod Patavinæ Univerſitatis reformatores petunt, ut mentem meam exponam circa varias methodos, quas aptiores exiſtimem ad tyrones in praxi medica erudiendos: volunt enim cathedram in xenodochio erigere in hunc finem: neque ſolum id ex me petunt, ſed alia etiam quamplura, quæ longum eſſet recenſere. Plura itaque colligo & conſcribo, ut mandatis eorum ſatisfaciam. Et en rationem alteram diuturni ſilencii mei, & moroſitatis in complenda reſponſione, tum ad le Catium tum ad Vandellium. Mitto febriculas & alias hypochondriacas affectiones, quibus a longo tempore obnoxius ſum, & quibus nunc frequentius infeſtor.

Poſtremis hiſce diebus cum ſicca petroſa oſſa apud me eſſent, ea præparavi tali ratione, ut aquæductus Cotunnianos invenirem. Mihi videtur inveniſſe. Certe enim ex ea cavitate ſulciformi a Morgagno deſcripta, & intra veſtibulum (apertum

ex

ex parte feneſtræ ovalis) conſpicua educitur canaliculus, ſatis quidem exiguus, ſed talis ut plusquam vulpinam ſetam admittat. Progreſſum inſequi uſque ad ejus finem in foſſa ſigmoidea impoſſibile fuit, cum tantum petroſam apophyſim haberem. Cochleæ aquæductus in ejus inferiori apertura patentiſſimus quidem eſt. Sed circa ejus inſertionem intra cochleam ita anguſtatur, ut in aliquibus oſſibus impoſſibile mihi fuerit tenuiſſimam ſetam introducere. Cum limam arripio, video ſemper maculam eo præciſe loco, ex quo oritur hic aquæductus, ſed ſetam immittere non poſſum, niſi eum tantum oſſis ſuſtuli vel limo vel cultro, ut, ſi profundius limam adigeram, cruſtaceam cochleæ laminam disrumperem. Certe hic eſt locus a Cotunnio aſſignatus; certe in loco paulo ante dicto cochlea ſetam admittit: forte admittere non poteſt in progreſſu, quia dura mater inveſtiens exſiccata & criſpata in oſſibus ſiccis exiguum foramen occludit. Expecto recentes aures ex Bononia, expecto etiam exſiccatas. Illis utar, ut obſervationem inſtituam juxta mentem Cotunnii: has vero ad longum tempus macerabo, ut dura mater inveſtiens integre deſtruatur. Tunc injectione utar, quam viam deſignabit. Ergo vides, quid de obſervatis Cotunnii ſentiam. Nempe credo aquæductus inveniſſe, & etiam labyrinthi humorem, cum poſtremo in agnis humorem hunc ſatis luculenter obſervaverim.

Accepi nunc icones, quas miſeram. Errores corrigam, in quos ob imperitiam incidi, & gra-

tias

tias reddo maximas : certum tamen eſt intra eum tubulum, aquæductui Fallopii concentricum, muſculum ſtapedis recondi. Plusquam una vice in aure recenti hoc obſervavi : forte etiam in eundem tubulum, aut ſatis proxime, ingreditur chorda tympani : labori non parcam, neque quidquam definivero, niſi prius pluries obſervaverim. Libros, quos ſumma cum humanitate mihi curare deſideras, poteris ad Somiſium mittere, neque enim Bergomi amicos habeo : utinam addere poſſes poſthumum du Verneji opus, & omnes annotationes academicas Albini ; quæ omnia Itali non viderunt. Poſtremo ex me quæris, quis inter Medicos Venetos emineat : Santorino nullus ſucceſſit. Is cathedram non occupabat, ſed Clinicus erat. Poleno ſuccedet facile Græcus nomine *Stratico* juvenis annorum 24. qui nunc medicam cathedram occupat, ſed extraordinariam, in Patavino Lycæo, ad eam conductus reformatorum poteſtate. Quod ſi quæris quis ſuccedet Morgagno, reſpondeo ; quod ſi fides ſit apud reformatores, ſuccedam ego ipſe. Vale interim, Vir Celeberrime, pretioſam vitam tuam diligenter ſerva, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Venetiis 8. Maji 1762.

179.

CALDANUS.

Priusquam Anatomen in Patria mea duobus abhinc annis publice diſputandam traderem, monuerat amicus Pozzius Bononienſis Profeſſor, qui ſtudiorum gratia, & Galliam, & Hollandiam & Germaniam peragraverat, Albinum illuſtrem in ſcholis & circulares iridis fibras, & glandularum conglobatarum folliculum demonſtraviſſe. Cum vero hæc omnia neque videre unquam potuiſſem, neque in Albinianis ſcriptis inveniſſem, auſus fui Albinum ipſum conſulere. Repoſuit, id totum, quod narratum fuerat, falſum eſſe. Gratias egi maximas; & ſilentium inter nos fuit ad hanc uſque diem, in qua præter expectationem litteras ſuas accipio poſtremæ editioni explicationis Tabular. Euſtach. & lib. IV. & V. ſuarum annotationum junctas; atque inſuper alterum exemplar iſtorum operum pro Morgagno. Lætus accepi a tanto homine munus peregregium. Annotationes autem duplicem mihi moverunt dolorem. Alterum propter librum V. quo Tecum, Vir præſtantiſſime, litem ſubit non indifferentem; alterum, quod in libro IV. videam, Albinum mihi præiviſſe in edendis obſervationibus de aure, valde iis ſimilibus, quas ego ineditas aſſervo. Icones ad Morgagnum miſi, ut comparationem inſtituat; non ut doleam de Albino, quod innocenter mihi præiverit, ſed de me ipſo moroſiſſimo, non tamen

men ſine ratione, homine; & demum ut Morgagnus aſſerti mei veritatem agnoſcat. Verum non derelinquam omnino inceptum opus.

Obſervationes quas habes ſi mittes, eæ vel in Bononienſi collectione, vel in mea reſponſione ad le Catium, vel demum in diario medico hebdomadario, quod Venetiis præterito menſe inſtitutum fuit, locum habebunt. Verum meminiſſe juvat, me olim exoraviſſe Te Amicum præſtantiſſimum, ut reſponſio mea typis veſtris evulgaretur,

Vale Vir præſtantiſſime, res tuas feliciter gere, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Venetiis die 19. Junii 1762.

180.

CALDANUS.

Nimium temporis elapſum eſt, ex quo humaniſſimas Tuas non accepi. Monui jam diu amicum communem Somiſium Phyſiologiæ tuæ Volumen IV. miſiſſe. Multa legi, quæ doctrinam tuam rariſſimam abunde ſignificant. Multa quæ ſignificant humanitatem erga me tuam, pro qua innumeras Tibi reddo gratias.

Excellentiſſimus & reverendiſſimus Cornarius, Epiſcopus Turcellanus, qui Venetiis habitat, & Sere-

Sereniſſimi Venetiarum Ducis nepos eſt, botanicis ſtudiis magnopere delectatur, ſelectam in hanc rem bibliothecam habet, non vero omnibus numeris abſolutam, propterea quia egregio opere tuo de Enumeratione ſtirpium helveticarum hucuſque caret. Exoravi amicum Somiſium, ut mihi curaret. Rariſſimum eſſe repoſuit. Verum omni pretio obtinere aveo. Narratum fuit Epiſcopo prædicto Te olim poſtulaſſe ex amicis variis, ut librum rariſſimum *Anguillaræ de ſimplicibus* Tibi curarent. Hujus libri exemplar per me Tibi offerendum proponit, quotiescunque librum tuum obtinere valeat, pro quo tamen debitum pretium exſolvet.

Litteras humaniſſimas inexpectato a Laghio accepi. Judicium expoſcit tuum ac meum de opuſculo Cotunniano. Laboravit in aure humana diu, ſed alienis manubus, nihil prius invenit: poſtquam intellexit inveniſſe me plura, & ipſe invenit omnia. Addunt amici nonnulli, non credi a Te Viro præſtantiſſimo humoris præſentiam in labyrintho. Peto judicium tuum. Poſtulabat etiam Laghius opinionem de modo quo fit auditus. Repoſui allatas hucuſque hypotheſes nequaquam mihi ſatisfacere. Credo (ni fallor ego) ſucceſſive a nobis audiri, etſi animus non advertat, ob momentaneam ſucceſſionem. Rationes non deſunt, & aliorum ſenſuum analogia. Quæ omnia ſi firma ſunt, corruit certe analogia cochleæ cum cymbalo. In diario Veneto occaſio oblata mihi fuit, præſtantiam tuam abunde ſignificare.

care. Doleo quod a laudato Viro non laudaris: ſed laudibus non eges. Reſonat orbis nomen tuum præclariſſimum.

Vale Vir egregie, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Venetiis ſecund. Idib. Sextilis 1762.

181.

CALDANUS.

Duas epiſtolas tuas octo dierum ſpatio nuper accepi, Haller præſtantiſſime. Dolui admodum de incendio, quod laborem Tibi movit non exiguum, & capiti tuo cariſſimo imminebat: gaudeo tamen magnopere, quod illæſus ſervatus fueris.

Reſponſio mea ad le Catium non erit major epiſtola mea ſecunda. Latino ſermone conſcripta eſt. Quod ad ſenſibilitatem attinet, totum jam completum eſt. Nonnulla adjicienda ſunt de irritabilitate; & finis tunc erit. Te autem exoro, ut attento animo legas atque indifferenti. Delebis quod aſperum ſapiet ſi quid erit, delebis quod non ſatisfacit objectionibus; addes quæ pondus addere poſſunt; uno verbo Tuum erit eam qualemcunque reſponſionem meam omnino ut tuam conſiderare: & Tuum erit denique conſiderare, utrum hæc cum aliis epiſtolis meis ſufficient pro aggregatione ad Londinenſem Societatem. Non excurret, ut ſpero, annus præſens, niſi de auditu theoriam publicavero,

 quoniam

quoniam illud quod ad veram illius organi anatomen ſpectat, adhuc, ob cadaverum extremam inopiam, incompletum ſit. Ad theoriam publicandam ob id cogor, quod Laghius non reſponderit adhuc iis quæ ex me poſtulavit; & moneat amicus Bononienſis, Laghium multa prædicare ſua, quæ mea omnino ſunt, vel certe aliorum, quorum nomen ipſum nequidem illi notum eſt. Inter præſtantiſſimos auditores tuos certo certius aliquis fuit poſtremis hiſce temporibus, qui de auris fabrica bene ſcripſit. Fuerit Meckelius aut Zinnius omnino ignoro. Aveo tamen omni opera habere quæ ſcripſerint. Poſtremis litteris meis ad Albinum datis eo animi candore, quem profiteor, dolui de lite Tecum mota. Nondum reſpondit Vir Clariſſ. & forte non reſpondebit. Aſpere nimis Tecum egit, non ſolum cum ſtatuit muſculares fibras in jejuno cæco & colo inteſtino, ſed etiam alia occaſione, & præſertim cum indicem Göttingenſem commemorat. Neque Tibi parcit in Euſtachianis tabulis nuper ad me miſſis, & anno præterito iterum editis. Enim vero pag. 125. monet, quod *in adipem diſtribuuntur innumerabiles pene nervorum propagines, quæ in cutem non ita frequenter inſeruntur, ut quispiam forte arbitratur.* Inter amicos tuos Europæ, qui atram bilem Albini improbant, & pacatum animum tuum laudant, ſum & ego ipſe annumerandus. Enimvero in diario Veneto, poſtquam ex barbara dictione latina Crantzium eduxi, cujus excerptum italicum Vandellianas iras iniquiſſimas, ſed manuſcriptas movit, (forte etiam ob id

id quod notas addidi, & ſectiones varias anatomicas rariſſimas a me factas edidi) in fine excerpti hæc adjunxi: *Rationes non injuriæ homines celebres reddunt. Teſtem excito magnum Hallerum, qui in Præfatione Elementor. Phyſiolog. T. IV. Albino reſpondet ſumma doctrina, moderatione, efficacia, obſequio. Hujusmodi ſcribendi modus Hallerum immortalem ſolus reddet, niſi celeberrimum ac illuſtrem opera prædicarent.*

Addo icones varias ex natura depromptas, quarum præparationes magno labore confeci. Nondum, ut vides, opus expletum eſt. Compleam tamen: non addo omnia quæ conveniunt cum Albino, quoniam Te non latent. Icones iſtas illuſtrare potes; ſed valde doleo, quod in Italia inciſorem non inveniam, qui recte delineatorem imitatur. O me beatum, ſi Tibi ſumeres tale onus; dummodo opuſculum judices alicujus momenti! exoro ut intacta reddas in epiſtola per Somiſium. Vale amice celeberrime præſtantiſſime. Vive felix & me porro amare pergas.

Dabam Venetiis pridie Kalend. Septemb. anni 1762.

182.

ACHILLES MIEG.

Tarde reſpondeo (quod benigne excuſabis) ad ultimas litteras d. 16. Martii ad me datas, quia per totum annum in re herbaria nihil novi

detegere, neque petito ſatisfacere licuit. Quod ſi tuæ litteræ aliquot ſolummodo ſeptimanis citius advenifſent, percommodam habuiſſem occaſionem, in rationem introitus Ilei in colon paulo exactius inquirendi; ſed, accepta epiſtola jam finitæ erant apud nos anatomicæ ſectiones; neque ab eo tempore novam occaſionem nactus ſum, quam equidem arripiam, ſi inſtante hyeme ſe obtulerit.

Bis tantum hoc anno montes quosdam ditionis noſtræ inviſi, ſed (præter *Gentianam cæruleam oris piloſis* in prato prope villam Dietiſperg) nihil rari detexi.

Ab aliquo tempore parciores apud nos morbi ſunt, qui prioribus menſibus hujus anni perſequentes erant: angina præcipue epidemica plerumque cum eruptione miliari, aliquando valde gravi, juncta; cujusmodi fere a Tiſſoto in perutili illo nupero opuſculo (Avis au Peuple) deſcribitur, & qualis etiam prægreſſo anno apud nos graſſabatur; in cujus morbi primis initiis methodum ſubantiphlogiſticam, qualis ab Allione commendatur, perutilem reperi, inprimis purgantia ſubacida ex Tamarindis &c. quibus ſæpe morbum jamjam prorupturum præcavere adhuc potui.

Prægreſſo vere iterum felicem inoculationem inſtitui, & alia pro futuro vere jam decreta eſt.

Pluſcula hoc anno experimenta cum cicuta inſtitui; cujus aliquam efficaciam vidi in inveteratis

ratis ſcrophulis, partim ulceratis partim adhuc clauſis; tum præcipue in pedis peſſima exulceratione; nullam vero in dolore arthritico inveterato, inque mammæ ſcirrho, qui in ipſo pilularum uſu, accedente quidem aliquoties externa incuria in gravem cancrum exulcerabatur; nullam etiam in vaginæ uteri gravi, & forte cancroſa, exulceratione, quæ ipſis fæcibus tranſitum ex recto in vaginam concederet; nullam denique animadverto ex ℥ß extracti quotidie data per 14. nunc dies, intermixtis purgantibus, in teſticuli notabili quidem ſed fere indolenti, tumore, nondum adeo diu ex ſtimulo ad Venerem ſuppreſſo exorto. Neque alii apud nos Medici multum adhuc hoc remedio profecerunt, ut tamen nullus, quantum ſcio, damnum aliquod inde oriundum animadverterit, niſi quod ſubinde empl. de Cicuta externe adhibitum prurientes in cute puſtulas excitaſſet.

D. Baſileæ d. 22. Sept. 1762.

183.

CALDANUS.

Schedulam tuam & alteram Lauſannenſis Typographi Romam miſi. Acceptum exemplar quod Romæ eſt, Excellentiſſ. ac Reverendiſſimo Cornario Epiſcopo Turcellenſi nomine tuo offeram. Ipſe interim per me gratias agit maximas, & agat ipſe idem poſt acceptum munus tuum peregregium.

Addo litteras amicorum, Nellii Equitis Florentini, ac Fontanæ: tum correctionem errorum, qui in ſecunda epiſtola mea irrepſerunt. Doluit valde Laghius de iis erroribus; quoniam fere omnes ad alteram epiſtolam ejus ſpectant. Vellem, ſi fieri poteſt, ut correctionem adderes quinto Tomo collectionis Lauſannenſis.

Aut . . . credit nervos eos tendinem ſubire, aut non credit. Si credit, Anatomicus non eſt. Oſtendit Vandellius nervos illos adſtantibus, qui anatomen non ſecus ac ille, nulla ratione callebant: & interrogatus num eſſent nervi ea filamenta quæ ſeparabat, reſpondebat affirmative, addens experimentum ſequens. Cultri apice, vel manubrio, filamenta illa tangebat diſtrahendo: reſpondebant pauliſper: & ajebat, attributum nervorum. Hoc nuper accepi a Medico Calza, a Vandellio in teſtimonium vocato; & quatuor abhinc annis habui a Valiiſnerio Hiſtorico Patavino naturali, demonſtraviſſe Vandellium ea filamenta, abſque eo quod nemo adſtantium affirmaret, vel negaret. Addit Haenius, falſum fuiſſe Vandellium ea filamenta naturali majora depinxiſſe: quod verum eſt de ſecunda epiſtola Vandelliana, non de prima, quoniam ab amicis accepit omnes in eo convenire, quod quantitas & moles nervorum Tabulæ ſuæ fidem denegabant. Monuit etiam Calza, experimenta ridicula fuiſſe; & illud etiam quod a Mediavia fuit inſtitutum: nam vix ſecta cute, clamante animali, ſectus fuit etiam tendo abſque ulla cautela. Inſuper irrideo . . ., quod amicus

amicus tuus eſſe neget, quaſi velis amicos Tecum ſentire. Non doles enim, quod contradicat, ſed de modo, quo id præſtat: & Tu, cum contra Boerhaavium dixiſti, non ea ratione cum tanto Præceptore egiſti. De Societate Brittannica bis ad Te ſcripſi poſtremis litteris, & me Tibi commendo. Si duplici provincia obrutus ſtudia tua non intermittis, id evenit, quod vaſtum ingenium tuum, & doctrina ſumma, rariſſima ſunt. Debuiſſes accipere quasdam icones meas de aure; partes ſunt eorum, quæ in lucem emittam, cum totum opuſculum complevero. Acutiſſimo rheumatiſmo correptus per dies viginti, nunc ad rem me confero ut bene valeam. In civitatem reverſus experimenta capiam in hominibus, quoniam Chirurgus Venetus in vulneratorum xenodochio Profeſſor non repugnat, quominus experimenta de ſenſitivitate inſtituam. Vale Vir præſtantiſſime litterarum bono & incremento; meque ut ſoles ama.

Dabam Venetiis 4to. Nonas Octobris 1762.

184.

FELIX FONTANA.

Quum per hoſce dies cum Cl. Viro, & ab optimis quibusque ſtudiis excultiſſimo Thoma Laghio de præſtantiſſimis tuis inventis, tuique nominis immortalitate ſermonem contererem, magnamque in eximiæ indolis Homine Tui admirationem agnoviſſem (qua eſt in æſtimandis

 homi-

hominibus ingenii ſagacitate, & acumine) optavi vehementer, ut tales inter vivos aliqua intercederet familiaritas & litterarum conſuetudo ad incrementum ſcientiarum, quæ magnorum Virorum multiplicatis veluti luminibus ſplendidius effulgent. Laghianas itaque litteras amoris & benevolentiæ pleniſſimas accipies, quas mihi humaniſſimus Vir ad Te mittendas dedit. Rem Tibi pergratam me facturum confido, qui egregium hunc & ſubacti judicii Virum plurimi ſemper feciſti, tum propter ingenium ejus ſingulare, tum ob ſummam ſcribendi moderationem, quam in adverſariis tuis ipſemet ſemper deſideravit.

Arrepta occaſione meditationes haſce meas tumultuario ſtudio duobus abhinc annis concinnatas acerrimo judicio tuo ſubjicio, ut ſi quid in illis peccatum a me ſit, vel minus accurate dictum, deſcriptumve, emendes benigniter, vel deleas. Sententiam hac de re tuam anxius præſtolabor, miſſurus ad Te deinceps alia, quæ in adverſariis habeo. *De motu Iridis, de nativo pupillæ ſtatu, de viſione objectorum diſtincta* abſque ulla externa vel interna oculi mutatione &c.

Vale, meque ut ſoles, ama.

Dabam Bononiæ die 27. Oct. 1762.

185.

THOMAS LAGHIUS.

Quo in animo ſim, quantique faciam graviſſima ea inventa, quibus facultatem medicam univerſam ſummopere locupletaſti, & alias teſtatus ſum, & nunc Cl. Viro Felici Fontana, Tuique amantiſſimo, qui adhuc Bononiæ moratur, ſignificavi, ſimulque oſtendi, nihil mihi honorificentius fore, quam ſi aliquando Tibi, Vir præclariſſime, ſcribere concederetur. Laudatiſſimus Fontana, qui eximiæ doctrinæ parem comitatem adjungit, in ſe recepit has ad Te litteras mittere, quibus non adverſarium, ſed ſummi ingenii tui, ſolertiæ, eruditionis, admiratorem habes, quam qui maximum; quamquam vel eo nomine me Tibi plurimum debere profiteor, quod in magno Phyſiologiæ opere, in quo nonniſi litteratiſſimi homines referri merentur, epiſtolarum mearum mentionem facias. Utinam Tibi uſui eſſe poſſem, atque de Te optime mereri, quemadmodum Spectatiſſimus Fontana, ut ſi minus litteris valeo, voluntate tamen & officio nunquam deero.

Cura ut valeas, totius litterariæ Reipublicæ commodo, & ornamento.

Dabam Bononiæ die 26. Octobris 1762.

186.

CALDANUS.

Quod Tabularum mearum ſculpturam curare velis, eſt, quod gratus ſim magnopere; adeoque gratias reddam innumeras. Monendus vero es, Vir Præſtantiſſime, quod mihi etiam nimis non placeant eæ, quæ majores ſunt, & in quibus ſtapes ſuo loco repræſentatur. Umbræ circa ſtapedem nimis obſcuræ ſunt, & ſculptor forte poſſet eas dulcius delineare, ſic ut ſtapes melius appareret. Monendus es præterea, quod Tabulæ miſſæ non omnes ſunt, quæ requiruntur ad opuſculum meum adimplendum. Deſunt etiam totidem, niſi forte plures. Præparationes conficiam, & jam nonnullæ confectæ ſunt & delineatæ. Ultimo monendus es, quod Tabulæ omnes, cum completæ erunt, ordinandæ ſunt, ſic ut ſub numeris arithmeticis præcedant, quæ præcedere debent, non aliæ; & notanda litteris omnia ſunt, quæ notari merentur; enimvero explicationes miſſæ nimis feſtinanter ex calamo ceciderunt. Tu potes poſtrema hæc optime conficere, & gratiſſimum facies. Sed neceſſarium inſuper arbitror, ut clarius res procedat, Tabulas miſſas translucere, & eorum quæ notari merentur circumferentiam. Lineis tantum obſignare, non ſecus ac de Tabulis Euſtachianus Albinus fecit, ita ut litteræ Tabulas veras non confundant, nec viciſſim iſtæ confundantur ab illis. Hoc autem unusquisque delineator perficere poteſt; adeoque, niſi moleſtum

ſtum eſſet, exorarem Te Virum præſtantiſſimum, ut Tibi etiam hoc onus imponeres. His peractis ſculpturæ exemplar unum mittere poſſes abſque arithmeticis numeris, qui addi poſſunt, quotiescunque libuerit. Neceſſarium mihi eſt ſimile exemplar tum ut in ſcribendo ordinem ſervare poſſim, tum etiam ut ſi quæ Tabulæ minus veritati reſpondeant, poſſim iterum & clarius ex ipſa natura ad verum delineare. Nimis mihi cordi eſt in hac re, ut & in omnibus ea proferre, quæ naturæ conſona ſunt, & quæ nemo poſſit in dubium revocare: atque in hunc finem enixe rogo Haller Amantiſſime, ut judicium tuum proferas. Vide num ad naturam delineata ſint omnia; num canalis ille aquæductui Falloppiano proximus muſculum ſtapedis revera recondat; num præcipue ſcalæ cochleæ diſtinctæ ſint, & earum communicatio adpareat: in his ſcalis præparandis atque delineandis (duplici modo ut vides) nimis inſudavi, cum nimis obſcura ſint quæ habet Caſſebhomius, quæ alii autores, quæ demum in Tabula expreſſit Cottunnius. Dabo etiam in meo opuſculo figuram, ut ſpero, meliorum nonnullarum præparationum ipſius Cotunnii; & ſinuoſitates hæmiſphæricam & ſemiovalem Morgagni oculis patefaciam, quas Albinus 4°. adnotationum libro vix pro parte demonſtravit; Morgagnus autem neque delineavit.

Le Catii reſponſio ferme completa eſt. Si poſſet imprimi in quinto collectionis tuæ volumine, mittam ſtatim. Latino ſermone conſcripta eſt, & in gallicum verti poteſt facile, dummodo

modo non vertatur ab eo, qui ſecundam epiſtolam meam vertit. Secus Venetiis aut Bononiæ imprimere faciam.

Vale Vir præſtantiſſime: res meas Tibi commendo, & me ut ſoles ama.

Dabam Venetiis ultimo die Octobris 1762.

187.

DOMINICUS COTUNNIUS.

Cum ſæpe alias, tum his præcipue temporibus fruſtra quæſivi, non apud noſtrates modo, ſed & Romanos Bibliopolas, *faſciculos* iconum tuarum anatomicarum. Id, ſi quando, nunc certe ægerrime fero. Cum enim pene exactus commentarius, quo *Sternutamenti Phyſiologiam* deſcripſimus, prelo immineat; inque eo univerſam narium fabricæ, ac aliquot nervorum, quinti inprimis cerebri paris, hiſtoriam forte non levibus acceſſionibus auctam, expoſuerim, ut quæ aliunde novi Te in naribus elaboraſſe, eoque libro expoſuiſſe, vix memorata pertranſeam, a me non poſſum impetrare. Cumque in aliquot Leidenſium Bibliopolarum indicibus nequidem occurrerit, itaque mihi viam omnem ejus acquirendi viderim præcluſam, in ſpem veni, fortaſſe quidem per Te, ſaltem ubi facile proſtet me poſſe reſcire. Quod ſi apud iſtos Bibliopolas liber eſſet, & humaniter curares, ut ſive Ariminum ad Cl. *Janum Plancum* communem amicum, ſive Romam ad

Cl.

Cl. *Baſſanum* meo nomine perveniret, quidquid erit impenſæ cui indicaveris ſtatim remittam.

Patere Vir Illuſtris & importunum excuſa.

Quo tandem egregium opus conſtitit, Phyſiologiæ? Licetne per aucta, ut audio, nimium negotia ejus finem exſpectare? Auguror ut aveo.

Vale Vir Celeberrime, & amantiſſimum Tui, ut ſoles, redama.

Dabam Neapoli pridie Kalend. Octob. 1762.

188.

ACHILLES MIEG.

Occaſionem tandem nactus ſum de *Valvula Coli* inquirendi in fœmina circiter quadragenaria, valde macilenta, quæ d. 25. hujus menſis in hoſpitio pauperum chronico morbo exſtincta, & theatro noſtro anatomico tradita fuit. Inteſtina eodem die ex ventre exemta, & per duos dies in aqua frigida ſervata fuerunt, antequam eorum examen, ob demonſtrationem de iis ſimul faciendam, mihi permitteretur; quas circumſtantias indicare viſum eſt, quia forte aliqua celluloſæ mutatio hinc fieri poterat.

Igitur caute tanc ſublatâ extimâ membrana, ſubjectaque celluloſa cum vaſis, circa ilei introitum in colon, atque denudata ſic utriusque inteſtini membrana muſculoſa, animadverti, celluloſam

ſam quidem illam aliquatenus connexiſſe ultimam ilei partem ad colon, ſic ut, poſtquam circa ambitum inſertionis ilei ea diſcinderetur, iſtud inteſtinum jam paulo rectius, ſeu minus obliquum redderetur, ſed in ipſam tamen valvulam vix tantillum deſcendiſſe; fibras porro muſculoſas longitudinales ilei ad eam inſertionem evanuiſſe, nec intraſſe valvulam, atque unicum ſolummodo dictarum fibrarum faſciculum, ne duas quidem lineas latum, in inferioris ſ. acuti anguli parte anteriore ad aliquot linearum longitudinem ſupra transverſas coli fibras proceſſiſſe, adeo ut in ipſo colo illo faſciculus finiretur; transverſales vero utriusque tenuis æque ac craſſi inteſtini fibras muſculares perrexiſſe intra ipſam conjunctionem, atque adeo valvulæ ſtructuram profunde intraſſe, copioſiores quidem, & utrinque denſiores in inferiori conjunctionis angulo, atque adeo arcte ex utroque inteſtino, abſque conſpicua denique intermedia celluloſa, ſibi invicem connexæ, ut paullulum progrediendo abſque diſciſſione ejusmodi fibrarum inteſtina a ſe invicem ſeparari nequirent, quæ ipſæ tandem fibræ, cum jam profundius intra plicam deſcendiſſent, ab utroque inteſtino, in inferiori maxime conjunctionis angulo, paulum oblique ſe invicem decuſſebant. Diviſione hac fibrarum muſculoſarum utriusque inteſtini eatenus facta, ut in uno loco tandem nuda nervea tunica conſpiceretur, atque ilei inſertio jam ad angulum rectum facta appareret, coli portionem fere e regione inſertionis abſtuli, ut in inteſtino aquæ immerſo valvulas contemplari poſſem; ubi

tunc

tunc foramen introitûs ilei fere circulare apparuit, inferior porro plica valvularis in parte poſteriori, qua nempe frenulum poſterius reſpexit, plane obliterata, reliqua vero ejusdem plicæ portio, tum integra plica ſuperior, adhuc tantillum eminens, eminentius adhuc poſterius frenulum, anteriore, eum prope introitum ilei diſciſſum eſſet, minus diſtincte comparente. Ileo tandem, qua intrat colon, longitudinaliter aperto, in marginibus in aqua fluctuantibus animadverti, muſculoſas fibras nerveam & villoſam utriusque inteſtini membranam ad finem uſque plicarum valvularium comitari, nulla celluloſa membrana muſculoſam inter atque nerveam membranam diſtincte comparente; quod idem etiam in freni diſciſſi marginibus poterat conſpici. Cæterum in iſto ſubjecto celluloſam ubique valde arctam & ſiccam reperio, ut eapropter ſingulæ partes difficulter præparentur.

Vale Vir Perilluſtris, meque porro Tibi commendatum habe.

Dabam Baſileæ d. 1. Decembr. 1762.

189.

JANUS PLANCUS.

Superioribus diebus ope Caldani accepi humaniſſimas litteras tuas die XXV. Januarii ſignatas, ex quibus accipio ad Morgagnum pro me addidiſſe faſciculum opuſculorum tuorum, & alium pro

pro Cotunnio, ad quem mittam, quando a Morgagno accepero. Interim pro meo gratias Tibi habeo plurimas. Cras mittam Neapolim epiſtolam tuam ad Cotunnium.

Caldanius ipſe modo ſcribit ad me circa finem Decembris fuiſſe electum a Senatu Veneto pro Primario Profeſſore Medicinæ theoreticæ in Univerſitate Patavina. Cathedra hæc ipſum æqualem ni ſuperiorem Morgagno facit, & fortaſſe deinde ipſi in anatome erit ſuffectus. Anatome enim ſcientia eſt principalis in Caldanio.

Eadem eſt ratio in edendis libris apud nos, quæ apud vos. Sed Librarii ſeu Typographi noſtri commercii defectu, & propter paupertatem edunt tantum propriis ſumtibus libros elementares, & alios vulgares, quos quisque emit; ſed edere recuſant ſuis expenſis libros eruditos, & peculiares, præſertim ſi Tabulæ æneæ in iis reperiantur. Quare autores hujusmodi libros de ſuo edere coguntur.

Caldanius æmulari videtur Cotunnium, de cujus in aure repertis ipſe cum aliis Anatomicis Bononienſibus valde anceps erat; ſed modo ea omnes confitentur, & meliora reddere vellent, caveant ne actum agant & invidi videantur. Vale.

Datis Arimino a. d. XI. Kal. Mart. Anno CIↃ IↃCC LXIII.

190.

MORGAGNUS.

Epiſtola aliqua fortaſſis a Te mea, certe aliqua ad me tua, Hallere Illuſtriſſime, petierit, neceſſe eſt. Faſciculum enim accepi nuper, exemplaria duo continentem Tomi primi tuorum operum minorum, & plures ſimul diſputationes, quorum exemplarium alterum cui reddendum a me eſſet, quippe nullis a Te litteris monitus, adhuc ignorarem, niſi caſu lineolas inſcriptas, quæ oculos primum fugerant meos, animadvertiſſem, quæ Cl. Planco deſtinatum indicabant: cui propterea ſtatim miſi. De altero autem exemplari, adjectisque diſſertationibus magnas ago gratias, maximas autem, quod pro ſingulari humanitate erga me tua meæ primum, tot inter, & tantos Viros, amicitiæ tribueris locum, quo nihil mihi accidere aut gratius, aut honorificentius poterat.

Si Typographus meus paulo magis properaſſet; abſoluta opuſculorum meorum editio jam foret, eaque ad manus perveniſſent tuas, quod intra unum aut alterum menſem futurum ſpero, & ex primis, ante hos tres menſes impreſſis, primæ illorum Patris, tuo eximio nomini dicare, paginis omnes agnituros, me, animo ſaltem, non eſſe ingratum. Faſciculus ut citius, & tutius ad Te perferri poſſit, non per meum Bibliopolam Mediolanum mittetur ad Joſephum Galeazzi, ſed per Cl. Paſtam, a quo eidem meum quoque ulti-

mum opus de ſedib. & cauſis morbor. quemadmodum tunc ad Te ſcripſi, traditum fuit; ut nullus dubitem, quin cito habueris; quamvis epiſtola, qua id mihi ſignificaveris, ſicut opinor, perierit, & (quod ægrius fero) eo de opere ſapientiſſimum judicium tuum.

Cl. Caldanium noſtrum ſtatim atque opportunum tempus advenit, fuiſſe Profeſſorem primarium deſignatum, ex ipſo intellexeris: itaque nihil addo; tantum Tibi quoque gratulor.

Pene oblitus fueram rogare, ut quando alium aliquem de tuis, mihi ſemper gratiſſimis, libris mittes, una mittas Tabulam XXXIV. pertinentem ad diſputationem CCLVIII. quæ Schmiederi eſt, de Polypo œſophagi inſcripta, in Parte VII. Tomi VII. diſputationum ad morborum hiſtoriam facientium. Ea enim Tabula in exemplari, quo liberaliter me donaſti, deſideratur.

Vale, Vir Illuſtriſſime, & me, ut facis, ama.

D. Patavii poſtridie Nonas Martii 1763.

191.

CALDANUS.

Summas Tibi reddo gratias, Vir præſtantiſſime, quod & menda, quæ in ſecunda epiſtola mea irrepſerunt, corrigere velis, & iconum mearum ſculpturam tuo ſumtu Tibi imponas.

Dolet

Dolet admodum quod ex prelo quintus Tomus *des memoires ſur les parties inſenſibles* non tam cito prodeat: neque minus dolet, quod H . . ., ut narras, aliquid habeat incivile. Augebitur fomes Albino, qui, ut video, litem habet de quorumdam inventorum tempore: augebitur Morgagno, qui, etiamſi aperte non loquatur, attamen variis locis curioſas quasdam querelas habet, quarum non exigua eſt ea, quæ exponitur præciſe ſub finem epiſtolæ ſuæ ad Meckelium noſtrum Tomo II. de ſedibus & cauſis morborum. Cæterum quod ad Albinum attinet, epiſtolam ejus adhuc ſervo (ſi ex corde loquitur) de nova lite dolorem ſuum ſignificat.

Redeo ad icones meas, de quibus, niſi ego fallor, plura, at certe non omnia ad Te alia occaſione ſcripſi. Non ſum ſollicitus, ut tam cito ſculpantur: multæ enim, ut vides, icones deſunt; cum mea mens ſit tales auris præparationes exhibere, quibus integra auris fabrica majori qua fieri poteſt facilitate, & abſque erroris metu per ſolas Tabulas poſſit comparari. Ergo præter quam quod eas ordinare potes, duo alia accedunt: alterum quod limites eorum, quæ demonſtranda ſunt, ſolis lineis deſcripti debent aliis Tabulis conſignari, ut loca vel per litteras vel per numeros indicari poſſint: alterum quod, ſi Tibi hæc præſtare placet, monere me debes de iis, quæ indicantur in illis iconibus; neque enim omnia quæ paravi in mentem nunc veniunt. Cum omnes præparationes complevero varias examinabo ſen-

tentias, immo omnes quotquot ſunt de modo quo fit auditus; & propriam mentem exponam. Nunc in cadaverum inopia hoc examen præſtare cœpi: ex Te autem peto Vir præclariſſime, num Meckelius, Zinnius, aliique inter recentiores, aliquid moliti fuerint vel ſcripſerint in hanc eandem rem. Si tempus Tibi deeſt ordinandi icones illas, neque aut poſſis, aut velis limites ſeu circumferentiam iconum earum lineis obſignare, remitte; & omnia expleta Tibi curarem impoſterum.

Certo certius priusquam annus præſens excurrat, reſponſio ad le Catium lucem videbit, una cum nonnullis obſervationibus meis, quas Morgagno inſcribam.

In rebus chirurgicis etiam invitus verſor. Irritavi tendines extenſoris Tarſi, & Metatarſi in nobili Moniali abſque ſenſu omnino, aliaque pericula in notam ſententiam feci, de quibus alio loco, nempe in epiſtola prædicta.

Dabam Venetiis die 19. Martii 1763.

192.

ACHILLES MIEG.

Finem hyemis expectavi, priusquam reſponderem ad ultimas litteras d. 10. Decemb. perſcriptas, ea ſpe, oblatum forſan iri novam occaſionem, qua obſervationes circa valvulæ coli ſtructuram

ꝯturam repetere poſſem; ſed, cum hactenus nullam ejusmodi nactus ſum, ad tres quæſtiones propoſitas alia reſpondere nequeo, niſi quæ ex ultimo jam cadavere obſervavi & tranſcripſi. Libuit nempe Viro Perilluſtri ſequentes denuo proponere quæſtiones.

1°. *Num longitudinales fibræ ilei in coli longas fibras continuentur?* Præter exiguum faſciculum longitudinalium ilei fibrarum forſan non ſemper occurrentem, quem in ultima epiſtola ſcripſi, ſupra plicam valvulæ in proximam coli partem porrectum fuiſſe, nullas alias vidi ad colon progredientes; & neque ille faſciculus, neque reliquæ ilei longitudinales fibræ coli longitudinales fibras attingebant; quæ poſteriores, more conſueto in tres faſcias collectæ, ne ambitum quidem valvulæ attingebant, ſed, ſicut aliàs ſolent, ad principium proceſſus vermicularis concurrebant.

2°. *Num ſint eæ, vel circulares, quæ plicam ſubeuntes inter duo ea inteſtina faciant parietem perpendicularem plicam replentem?* Coli faſcias longitudinalis ambitum conjunctionis ilei cum colo præteriiſſe jam dixi; neque vidi longitudinales ilei fibras plicam ſubiſſe, quæ ipſæ ad conjunctionis ortum diſparuerunt; ſed ſolæ transverſæ, tenuis æque ac craſſi inteſtini, fibræ in ipſam plicam deſcendebant.

 3°. *Ut*

3°. *Ut eæ fibræ replentes plicam ſe habeant ad valvulas; num in iis ſemilunares ſint, oræque parallelæ; num alia fabrica?* Fibræ, quæ ad ſuperius inferiusque initium valvulæ erant, apparebant ſatis parallelæ, adeoque ſemilunares: ſed profundiores ſenſim magis verſus oras valvulæ obliquæ erant, atque ultimo ab utroque inteſtino ſe invicem interſecabant, ut ipſæ adeo in ſeparatione continuata utriusque inteſtini diſſecarentur.

Pro quarta parte Emendationum, nuper benevole transmiſſa, debitas gratias ago, agamque etiam maximas pro novis plantis, quales proximo vere Te miſſurum ſcripſiſti.

Nec minus me obſtringes, Vir Perilluſtris, ſi porro perrexeris nova & adeo efficacia remedia mihi indicare, ſicut aliquoties jam feciſti.

Annus iſte ſanus futurus eſſe videtur, cum nullos nunc morbos epidemicos habeamus, cujusmodi regnarunt ab aliquot annis, in quibus inprimis maligna angina, cito peſſime exulcerata, juncta cum miliaribus exanthematibus, præcipuum locum tenebat, ſæpe tamen, modo faucium exulceratio aut exanthemata nondum acceſſerint, ſolo laxante antiphlogiſtico, & victu ex acetariis cito ſublata. Forte & in illo morbo ſpiritum ſulphuris cum fructu adhibuiſſem; ex quo priore anno in variolis cum maculis nigris, & nuper etiam, poſt tua monita, in graviſſima febre petechiali, cum copioſis maculis lividis, nariumque ingen-

ingentibus hæmorrhagiis, inſignes & ſalutares effectus vidi.

Pulveris foliorum aurantiorum, quem Ill. van Swieten jamdudum adhibuiſſe audivi, virtutem roborantem & antiſpaſmodicam, jam in pluſculis fœminis hyſtericis, cum in vagis doloribus ſpaſticis, tum præcipue in ventriculi ſpaſmodicis affectibus, egregiam expertus ſum.

Proximo vere hic prodibit bona, ut opinor, Diſſertatio de indole aquarum balnei Schinżnach, quem tum, cum aliis exiguis ſcriptis, transmittam.

Vale Vir Perilluſtris, mihique porro ſave.

D. Baſileæ d. 16. Martii 1763.

193.

BERDOT, Filius.

Ne male feras rogo, ſi doctiſſima tua negotia obſervationibus medicis ſubinde interturbem. Bigam hicce ſuppeditavit annus, Tibi forte non injucundam futuram.

1°. *Inſenſilitas tendinum.* Imprudenti juveni externa manus pars ſclopeti glande trajecta ſic quidem fuit, ut os metacarpi quartum fractum fuerit & excuſſum, tendinibus minimi & annularis digiti extenſoribus magnam partem denudatis, ceterum integris. Hoſce

tendines digitis contrectavi, forficis acumine irritavi multoties, lenteque dein minimi digiti inutilis facti, extenſorem abſcidi, abſque ullo vel minimo doloris indicio.

2°. *Inteſtina cum Meſenterio ſ. peculiari ſacco in aſcitico abdomine recluſa.* Virgo XVI. incirca annorum poſt irrita ad mentes molimina, pedum corripitur œdemate, vero dein aſcite, ſpatioque quadrimeſtri moritur, vigente per totum morbum febricula. Urgenti ſemper appetitui indulgens, omnimodis medicamentis ipſique paracenteſi terga dedit moroſior. Ultimo ſaltem menſe, incuſſo mortis metu, varia adhibuit eaque violenta ab empirico remedia, abinde anorexia, nauſeæ, vomitus, ſtomachi cruciatus, alvus immorigera, anxietates &c. natæ, prorumpente ſub finem quam uberrimo lotio fluxuque albo.

Anatome. Macies cadaveris magna, abdominis undiquaque æqualis tumor, a percuſſione inſigniter fluctuans. Paracenteſi aquæ flaveſcentis fere inodoræ ℔. XXIV. librarum circiter eductæ ſunt.

Aperto abdomine plane vacua viſa fuit ejus cavitas, nihil enim de inteſtinis, nihil de reliquis viſceribus occurrebat, ſuperſtes modo aderat aliqua aquula aſcitica, plurimis ſcatens flocculis, jam jam in membranulas abituris. Albeſcebat peritoneum, plurimis lamellis flocculento glutine factis craſſius duriusque factum, propendentibus undique flocculis. In cavo hocce abdominali protuberabat

berabat poſtice ſacculi ſpecies ad os uſque ſacrum producta, ſpithamæ cum 3. vel 4. digitis transverſis longitudine, ejusdemque fere circumferentiæ, antrorſum elliptica, retrorſum aliquantum complanata. Spinæ dorſi poſtice & lumbis, ope lamellarum, quas glutinoſi flocculi peritoneo impertiverant, firmiter adhærebat iſte ſacculus. Pelvis viſcera hæcque tegens peritoneum, maxime demerſa 4. vel 5. transverſorum digitorum ſpatium ab ima ſacci parte vacuum relinquebant; protuberabant ſaltem ovaria nucem magna, dura, albiſſima.

Superne ad ventriculi uſque regionem producebatur ſaccus, ſed ibidem ad latera explicari videbatur in duas veluti alas, cum peritoneo anterius & a lateribus continuas, prætenſas, ſeptum formantes, quaſi verum adforet diaphragma, abdomen a pectore ſegregans. Supra hocce ſeptum camera aderat, ab ipſo inferne ſepto, ſuperne autem a diaphragmate formata: hacce in camera includebatur hepar naturale ſatis, niſi quod gibba ipſius ſuperficies diaphragmati maximam partem adnata eſſet. In hac quoque camera occurrebat ventriculus, ſubtumidus, ſcybala dura, flava, figurata continens, ejusdemque omnino conſiſtentiæ, quam quæ in fine recti reperta ſunt. In ſacculo autem, de quo ſupra, arcte includebantur meſenterium & inteſtina, hinc inde inflammata, flatibus tumida, mire convoluta, invicem ſaccique interno parieti firmiſſime adnexa, ut ſine dilaceratione nequaquam ſeparaſſes. Sacci parietes lineam ad mi-

nimum craſſi, albi, coriacei, flocculento obducebantur muco, eoque vix non membraneſcente.

In pelvi uterus occurrebat, magnitudinis formæque ſatis naturalis, conſiſtentiæ autem aliquantum mollioris, depreſſus a pondere incumbentium aquarum verſus vaginam, quæ brevis admodum viſa eſt. Cavitas uteri aliquanto naturali major, mucoſo albidoque glutine obducta. Orificium uteri patulum, phaſeolum admiſiſſet. Veſica urinaria exigua, vacua. Multam pericardium habebat aquam, pectus nullam, cor ſanum, ſiniſter pulmo egregius, dexter autem pleuræ totus fere accretus.

Saccum, quo meſenterium & inteſtina ſ. includebantur, ab omento ſolito ſorte longiori formatum fuiſſe, eo minus mihi ſupereſſe videtur dubii, quod ille radices in magna ventriculi curvatura habere magnam partem videretur, nullaque præterea occurreret omenti ſpecies. Quippe omentum inteſtinis ſuperductum, ipſisque mole aquarum adpreſſum, flocculentoque aquarum muco undiquaque adglutinatum, ut & reliquo retrorſum & inferius peritoneo, ſacci induxit ſpeciem indies craſſioris facti, appoſitis flocculis mucoſis membraneſcentibus.

Nihil præter aquam habebat, quod verum dici poterat, abdominis cavum, inde inſignis illa a percuſſo abdomine fluctuatio. Fruſtraneus in noſtro caſu fuiſſet illorum metus, qui ideo paracenteſin reformidant, quod acu triquetra lædi poſſe abdo-

abdominis viſcera ſomnient. Miror ne in caſu noſtro fuiſſet ſyncopes ab eductis aquis, abdomine non ligato, metus? Arctiſſime incluſa in ſacco viſcera, extra illapſui ruiturique cum impetu ſanguinis periculum locari videbatur. Certior forſan futura fuiſſet pernicies ab impedita reſpiratione, reſolutis nimirum a nimia extenſione & flaccidis, non ſuffultis muſculis abdominalibus. Aliqua ſpes protrahendæ vitæ a reſpiratione affulgebat, quæ ſolo fieri poterat diaphragmate. Formatio membranarum a glutinoſo ſero, egregie demonſtrabat caſus noſter. Concoctionem & figurationem excrementorum in ventriculo miratus ſum.

Longiori recenſioni pro tua bonitate ignoſce Illuſtriſſime, Excellentiſſime & favere perge.

Scribebam Montbelgardi d. 25. Martii 1763.

194.

JOH. GESNERUS.

Diu eſt, quod ullæ litteræ eam apud me lætitiam excitarunt quam nuperæ tuæ Vir Exc. Amiciſſime, in quibus nuntias Tecum agi ut Bernæ maneas. Video enim nunc ſerio de ea re agi, neque animum tuum ab ea cogitatione alienum eſſe, ita & Patriæ & Tibi & illuſtri familiæ & amicis optime conſuluerit. Perinde tuæ cogitationes, tua conſilia ad communem utilitatem erunt comparata, ſive ea in negotiis Reipublicæ ſive in litteris

litteris verſentur. Nam manifeſte oculis noſtris cernimus, Deum eſſe Tecum in omnibus quæ moliris. Et quamvis negotia publica parum temporis litteris concedant, id tamen magno uſui eſſe poterit, ſi aliorum conatus litterarum tuis conſiliis dirigantur.

D. Zieglerus Vitoduranus in Mineralogia & Chemia & omni litterarum genere verſatiſſimus cum Cl. Lewis inſigni Medico & Chemico commercium litterarium nunc colit. Eſt idem ille auctor, qui A°. 1759. opera Neumanniana magno judicio in compendium redacta, & methodice digeſta, & primariis novis inventis aucta edidit: titulo the Chemical Works of C. Neumann abridged and methodized with large additions, containing the latter diſcoveries and improvenents made in Chemiſtry and the arts depending thereon. Lond. 1759. 4°. p. 686. Idem dedit an experimental Hiſtory of the materia medica. Lond. 1761. 4°. p. 591. ubi medicam materiam magis ex experimentis chemicis & medicis quam ex botanica ſcientia illuſtravit. Idem promittit Commercium philoſophico-technicum, cujus ſpecimen ſingulo trimeſtri prodibit. Ampliorem operis ideam ad D. Zieglerum perſcripſit, de qua idem forte coram Tibi plura referet. Suſcepit iter ad amicum ſuum Nobilem de Beroldingen (Tibi ex litteris ad Te olim datis notum, Virum optimum & præclara molientem, mihique inpr. amiciſſimum) Taurinum, ut cum eo in Patriam redeat, & curſum itineris ad Rupes inſtituere cogitant, ut

ut Te ſalutandi ipſis naſcatur occaſio, atque ut inſpiciantur ſaliſodinæ. Amicos digniſſimos tuæ benevolentiæ commendo.

Vale Vir Illuſtris & Amiciſſime & mihi ut ſoles perge favere.

Turici ad d. 8. Aprilis 1763.

195.

JOH. GESNERUS.

Attulit humaniſſimus Dickius gratiſſimas litteras tuas. Agnovi in eo hominem rei herbariæ ſtudioſiſſimum & diligentiſſimum, atque in Botanica helvetica verſatiſſimum. Ab ejus itinere uberrimum fructum habebis & habebunt Botanophili. Lubentiſſime quæ à me proficiſci poterant humanitatis officia contuli. Litteras Curiam dedi. Itineris ſocium ſe adjunxit Fueslinus juvenis magnæ ſpei, filius pictoris, qui ex alio tempore ſtudio medico operam dat, is & laboris patientiſſimus, & in indagandis naturæ operibus curioſiſſimus, magnam imprimis in indagandis inſectis ſibi peritiam acquiſivit; comitem ei ſe præbuit nob. Meiſius, qui totus a Fueslini nutu pendet. Hoc modo tres ſocii mutuam ſibi operam ferre poterunt. D. Dickius ex oculi inflammatione aliqua incommoda ſenſit, ſcarificatione uſus eſt, non tamen ut plane ab hoc remedio convaluerit; nihilo tamen minus itineri ſe committere voluit, ne cunctanter ſuſceptum opus agere videatur.

Grata

Grata plurima de Te & illuſtri familia & de novis in Helvetia detectis plantis mihi narravit. Sexto Junii poſt meridiem navi Rappersvilam profecti ſunt.

Gaudeo Te brevi moleſtum & temporis pretioſiſſimi edax Gubernium Aquilegienſe deponere poſſe. De læto progreſſu operis phyſiologici ex imo pectore gratulor.

De plantis D. de Gouan & Hudſoni gaudeo, ſed inprimis magnam rariorum copiam a Seren. Regina Sueciæ ad Te pervenire puto. Si forte in his quædam, quorum characteres nondum delineati ſunt, magnum beneficium mihi facies eas communicando, operam & curam dabo, ut tuto & cito Tibi reddantur.

Pridie venerandus mihique amiciſſimus Hagenbuchius ex novo inſultu apoplectico, quem die ſolis paſſus eſt, ſupremum diem obiit, maſcule & plenus in ſoterem ſuum fide. Schola noſtra doctiſſimum, & orthodoxæ fidei aſſertorem ſtrenuum, ego imprimis fidiſſimum amicum Collegii noſtri amiſi. Heri ſucceſſor in Canonicatu & Profeſſione theologica electus eſt unanimi ſuffragio Vir doctiſſ. & ſuaviſſimorum morum *J. J.* Kramerus, lat. & græcæ linguæ in Collegio humanitatis Profeſſor. Faxit Deus ut in ſui Nominis gloriam & Eccleſiæ ſalutem ſuæ promotio cedat.

Vale Vir Illuſtr. & Amiciſſime & me ut ſoles amare perge.

Turici d. 8. Maji MDCCLXIII.

196.

196.

CALDANIUS.

Vellem Phyſiologiam cito abſolveres: opus enim eſt omnibus numeris perfectiſſimum. Qualem laborem poſt abſolutam Phyſiologiam ægre debes aſſumere?

Amicus Somiſius mihi curavit *opera* tua *minora*. Gratias ago maximas, omnesque quas poſſum. Bellum ſiluit; adeoque facile erit anatomicas diſputationes acquirere. Solvam nummos quos decet: nolo enim præclariſſimis operibus tuis carere; neque ut credo, aliis careo, quam diſputationibus anatomicis, & medica collectione.

Somiſius Tibi curabit primum diarii Veneti volumen Tibi inſcriptum. Orteſchius diarii conſcriptor olim auditor meus fuit, vir multa in medicis eruditione præditus. In eo diario nonnulla videbis, quæ mea ſunt, nempe: *Excerptum de Cotunnii aquæductibus*, cui Orteſchius addidit abſolute me omnia confirmaviſſe, quod non ita verum eſt. *Excerpta Crantzii* cum notis ad illud de irritabilitate. Obſervationes omnes ſub nomine *Dorilai* (nomen eſt ab Imperiali Academia Roboretana mutuatum). Sectio de *puero monſtroſo* Venetiis nato: obſervationes de *duobus apoplecticis* ſequentibus caracteribus ſignatæ, D. L. M. A. C. id eſt: *Doctor Leopoldus Marcus Antonius Caldanius*. Tenuiſſima hæc ſunt. Ex iis autem ferme omnibus apparebit, quid de ſumma doctri-

na

na tua ſincere ſentiam. Apparebit in proluſione, quam habebo cum Patavinam cathedram primum conſcendero: apparebit in medicina docenda: & demum apparebit ex reſponſione ad le Catium, quæ ad finem citiſſime properat. Hanc italico ſermone conſcripſi. Mone num editionem curare velis, cito enim in gallicum ſermonem vertam; ſin minus, faciam quod potero, ut evulgetur apud noſtrates.

Si Albini litteris credo, de Te bene ſentit: num vero eum pœniteat de ſcripto ſuo omnino ſiluit: id tamen vellem. Tu autem animum rege; neque enim immortali tuo nomini quicquam officere poteſt.

Tuo commodo, ambitus iconum mearum caracteribus notatos cum explicatione mittere potes, ut reliquis conficiendis viam aperiant: præparationes enim Sereniſſimæ Venetiarum Duciſſæ dono dedi, quæ anatomicis ſtudiis delectatur.

Camperum Venetiis vidi, & Lieberkunium *de vaſis lacteis*: ſed in ſummo ſunt pretio, cum petant non minus quam tres aureos: ego vero in his libris acquirendis nolo tenues opes meas inſumere. Duverneyanum opus Somiſius mihi comparavit.

Lavagnolius poſt obitum Placentini primarii Theorici Patavini ab amicis interrogatus, num ad eam cathedram aſcendere cuperet, reſpondit negative. Extat reſponſio in litteris; & tamen poſt electionem meam litem movit, ut in meum

locum

locum tranſiret. Noluerunt Reformatores ut cederem: nunc ille ſilet, neque enim adhuc a Senatu (ut mos eſt, nemine refragante) Reformatorum conſilium in Profeſſoribus eligendis confirmatum eſt.

Vale Vir præſtantiſſime atque amantiſſime; & me porro amare pergas etiam atque etiam rogo.

Dabam Venetiis die 11a. Junii 1763.

197.

ACHILLES MIEG.

De ſtirpium novo ſpicilegio valde gratus ero. Hoc anno nihil plane in ſtirpibus proficere potui, cum totus praxi fuiſſem occupatus. Si olim, quod tamen nunquam audivi, Epimedium ad imam minorem urbem crevit, id jam debuit periiſſe, cum nunc Rhenus infra pontem in eo latere urbis murum fere continuo alluat, ut ibi nemo deſcendere poſſit. Lathyrum narbonenſem anguſtifolium nunquam vidi; latifolius vero (ſi ſub hoc nomine Lathyrus latifolius C. B. intelligendus eſt) nonniſi in hortis apud nos creſcit; quem, præter Bauhinum, neminem Baſileæ reperiiſſe, memini; neque ſpontaneum adhuc vidit ipſe de la Chenal, tametſi paucos loculos ditionis noſtræ reliquerit inviſos. Hujus amici ardorem, quem habuit ad plantas, nunc ad ſe traxit ſponſa, cum qua mox nuptias eſt celebraturus. Nuperrime tamen duas adhuc novas detexit agri Baſileenſis

 cives,

cives, Corallorhizam (*nidum*) nimirum, & Gentianellam alpinam pumilem vernam majorem C. B. quas ambas ſtirpes pecuarius arcis Ramſtein ad ipſum miſit.

Simplicem, & adeo tamen efficacem curam pleuritidis ſpuriæ putredinoſæ, quam perſcripſiſti, miratus ſum; eamque obſervationem, uti reliquas tuas, in meum uſum convertam. Utinam nova illa Viennenſium remedia æque vere eam inſignem efficaciam haberent, quam ipſis tribuunt! Sed cum Cicuta nemo apud nos tanta præſtitit; & nuper, contra annuum dolorem rheumaticum in brachio, extractum napelli, ipſa Vienna acceptum, per 30. dies, ad ſatis magnas denique doſes, abſque fructu adhibui.

Vale Vir Perilluſtris, meque ſemper Tibi commendatum habe.

D. Baſileæ d. 29. Junii 1763.

198.

ACHILLES MIEG.

Eryum ad N°. 3. Emend. V. non ad ſylvam noſtram die Hardt dictam, ſed circa Montisbelgardum, ſe reperiſſe Dn. de la Chenal retulit.

Carduum, qui affinis ſit *Criſpo*, inter meas plantas alium non reperio, quam *paluſtrem C. B.* infra Friedlingen repertum, habitu ſuperne magis nudo, ſpinis durioribus, calyce mitiori eique qui in

in Carduo avenaceo eſt fere ſimili, pappo plumoſo &c. diverſum; neque *acanthoidem*, ſi alium intellexit J B. hactenus repererunt Dn. Prof. Stehelinus & Dn. de la Chenal, quos ſuper hac re conſului.

Nuper balnea Schinznach, & Baden, ipſumque Tigurum, raptim inviſi; qua occaſione montem *Bözberg* dictum, qua parte vallem Frick (Frikthal) ſpectat, pedibus conſcendi, ut in plantas inquirerem; ſed nullam valde raram detexi; vidi ſolummodo aliquas, non ubique communes, ibi copioſe occurrere; cujusmodi ſunt *Myagrum* N°. 678. *rarior* in ſegetibus ad utrumque latus viæ ſupra pagum Bötzen; *Iberis* N°. 693. *rarior. ibidem*; *Aparine ſemine lævi* Vaill. Bot. T. IV. f. 3. (in rarior. omiſſ.) ibid. *Pyrethrum rarior* N°. 935 flore majore, in aſcenſu montis juxta viam; & *Juncus rarior*. N°. 304. (qui nec circa Baſileam rarus; & forte idem cum *Junco* 10. *Enum. Helv.*) in aqua ſtagnante prope diverſorium ſupra montem.

Pro plantis, quas jam Bernam miſiſſe refers, debitas abſolvo gratias.

Lues iterum, inter boves præcipue, graſſatur, quam Scheuchzerus anno 1732 ſub nomine der fliegende Zungenkrebs deſcripſit. Eam primo in Lotharingia & Alſatia, antequam ejus indoles & cura naſceretur, plures non tantum boves, ſed etiam equos & ſues trucidaſſe referunt; nunc jam in pagum ditionis noſtræ Bencken irrepſit;

repſit; ſed, quantum audio, nullum fere in ea periculum eſt, ſi cito ſuccurratur.

Hoc menſe, & jam circa finem prioris, cholera plures homines invaſit, ſed vel ſponte iterum ceſſans, vel copioſo diluente & demulcente potu, atque tinct. Rhei cum admiſto ſpiritu nitri dulci facile hactenus ſuperabilis. Jam incipit dyſenteria, cujus metuo epidemiam ſimilem ei, quæ ante duos annos ditioni noſtræ adeo inviſa fuit.

Vale, Vir Perilluſtris, mihique porro fave.

Dabam Baſileæ d. 13. Julii 1763.

199.

JOH. GESNERUS.

Nolui concedere, ut nobiliſſimus nobisque amiciſſimus filius tuus abſque litteris noſtris Tiguro diſcederet: magis etiam optaſſem, ut aliqua noſtræ amicitiæ indicia in ipſum aut nobiliſſimam familiam conferre licuiſſet. Studia ſua hiſtoriæ patriæ imprimis deſtinata, aliquantulum a noſtris remotiora ſunt, quam ut aliquam ſuis laboribus ſymbolam adferre potuiſſem. Pergratum vero fuit eum in conventu Societatis noſtræ phyſicæ ſubinde conſpexiſſe.

Fueslinus & Meiſius læti ex itinere alpino redierunt, laudant humanitatem doctiſſ. Dickii, ab eo etiam litteras habui amoris & grati animi plenas. Plantæ in itinere collectæ nondum omnes a me

a me examinatæ ſunt, in viſis tamen variæ admodum raræ occurrebant antea a me non obſervatæ, ut Saxifraga illa alba grandiflora foliis imbricatis lævibus acutis, quam pro Burſeriana habui. Cynoſurus alpina, quæ forte Gr. ſpic. alp. ſaxatile craſſa radice foliis junceis, ſpica breviſſima & verſicolore, quam Michelius in horto ſuo exhibet. Viola pinnata. Rhamnus tinctoria minor. Perſicaria illa floribus racemoſis albis mihi non ſatis nota eſt. Pulchra & rara inſecta in itinere quoque colligerunt. Ex itinere Botanicorum, quos in alpes glaciales mittis, eximiæ Botanicæ incrementa ſperare licet.

Vale Vir Illuſtr. & amiciſſime & me ut ſoles amare perge.

Turici d. 16. Jul. MDCCLXIII.

200.

M. SARCONE M. D.

Trucis morbi hiſtoriam Tibi, præ cæteris, Vir Clar. lubens ſiſto. Non id certe factum, ut occaſione captata in tuas excurrerem laudes. Tenuitatem meam agnoſco, & terribile Numen, cui Te merito virtus tua, atque fama concredidit, verens miror, & tacito plauſu corde veneror. Hoc idem probat neque id me feciſſe gloriolæ aucupandæ gratia. Qua fieri poterit, ut ſuas tiro non firma manu delineatas imagines acri Apellis ſubmittat judicio, & plauſus poſtulet?

 §. 1.

§. 1. Spectatiſſimæ mulieris vitam tutandi cauſa Tibi hæc inſcribitur epiſtola. Hæc forſan longior quam par erat videri poterit; ſed dicturos de morbo perdifficili, eoque diuturno rem altius repetere decet. Qui recte noverit anteactæ vitæ rationes, huic ingenium præſidiumque morbi rectius noſſe datur. Splendidam de qua agimus mulierem bene quidem formavit natura; optime omnium virtus cohoneſtavit. Statura haud procera: puro mixtæ candore, atque rubore genæ: inſignis in vaſculis tenerrimis adque ſatietatem enutritis mobilitas. Acutiſſimus, ſuique compos animus, ſuaviſſima, ſupra quam credibile eſt, morum ratio. Satis temperantiæ, edacitatis nihil; & nonniſi unum aut aliud in diæta taxandum, nempe inertis vitæ genus excoluit: atque Caffeæ ſorbitiones a paſtu, & jejune vehementer uſurpavit.

§. 2. Menſtruam rationem ipſi opportune miniſtravit natura: quod ipſum jus debita jucunditate, certoque die impoſterum confirmavit ſingulis menſibus, & non avara manu.

Ætatis ſuæ ſecundo circiter & vigeſimo nupſit. Peperit filiam. Orbata viro, anno quarto fere & vigeſimo ætatis, ſecundo & optumo quidem fuit nupta marito, quocum jucundiſſime vivit, jam annis duodeviginti a nuptiis excurſis.

§. 3.

§. 3. Toto hoc tempore, anniverſaria quaſi viciſſitudine, vel peperit filios, vel abortus eſt paſſa: iſtis ſcilicet occaſione extrinſeca atque inopinata ſupervenientibus.

§. 4. Anno ſeculi hujus ſexageſimo primo concepit. Septimo a conceptu menſe filiæ dilectiſſimæ præſens periculum ſic perculit noſtram, ut laborioſam efferenemque paſſa ſanguinis ex utero eruptionem, ſeptimeſtrem mortuum ederet fœtum. Hinc fortaſſis tot ſemina exorta malorum? Ut ortus morboſi fluctus, quo noſtra conflictatur in præſenti, reperiatur, ex illa qua eundum eſt via; niſi forte animus fallit. Hoc probant ſequentia:

§. 5. Poſt menſem concepit ultimum. Secundo a conceptu menſe, embryo malos eventus habuit: utero eum rejiciente.

§. 6. Et revera nulla hinc utero quies. Nunc cruor aut impetu & copia, aut lente & diu fluere cœpit. Nunc cruorem ſeroſi glutinis ſat pellucentis ac male olentis colluvies excipere conſuevit. Erat interim notatu dignum: menſes erumpere ordine conſtituto.

§. 7. In tali re non humilis ſubſellii Medicus optimum factu ratus aliquid tentare, artis præſidia in auxilium egregiæ mulieris uſurpare decrevit. Quocunque ire placet, ferro iter aperiendum. Quapropter ſanguine miſſo, ad chalybis aram confugit. Sed nodum non

hoc enſe reſcindendum res ipſa hortari videbatur. Nihil opis noſtra ſentiebat. Magis magisque in dies crevit fluxus; vel ſi parva fiebat fluoris violenti pauſa parumper (luſum quem luſimus non ſemel) inde redit rabies eadem, & furor ille reviſit.

§. 8. Septem interim ab hocce morbo numerabantur menſes, quum repente, impetuque gravi, affluentique curſu ſanguis erupit, menſtruis fluentibus. Proſilientis ſanguinis effuſioni ægra ſuccubuit, animoque defecit. Sanguis exiens nunc exacte lævem, nunc formam grumi rubentis habebat: modo picis ſpecie retorridus erat, modo flavo ſero dilutus.

§. 9. Quod huc morbi vis proceſſiſſet, primum accitus fui. Mihi multa agitanti conſtabat P. noſtram a tenella ætate uſque ad annum quadrageſimum ingentibus, atque frequentibus e naribus hæmorrhagiis detineri conſueviſſe: hujusque vitii genus hæreditario quaſi jure a ſpectatiſſima matre obtinuiſſe. Secundo rem eſſe cum muliere atque illuc bene quidem enutrita, verum tunc temporis violenta eruptione vehementer labefactata. Ultimum hæmorrhagiam muliebri haud tenui fluore admiſtam, in longum jam tempus excurriſſe.

§. 10. Non violenter eruptio erat igitur ſubprimenda; ſed prudenter compeſcenda. Alio ſanguis ab utero evocandus. Quies imperanda

randa in lato cubiculo, inque haud calido cubili: leniſſimis, blandiſſimisque inſtaurantibus vis vitæ ſovenda. Idcirco ſanguinis miſſione ex cubito: molli frictione in mammis & dorſo: extremorumque deligaturis: ut & artificioſa abdominis a pube ad umbilicum ſuſtentatione, ſoluto vinculo ad hypochondria, ſuccurrendum. Plantaginem, Bellidem, Acetoſellam, albam uſque Pimpinellam, omnes in Conſervæ modum redactas, bis in die propinandas: demumque aquam frigidam, atque Peruviani Corticis, ac Simarubæ decoctum parva doſi, omnique quadrihorio exhibenda curavi.

§. 11. Hiſce præſidiis brevi convaluit a magna vi morbi. Bono animo eſſe cœpimus. Sed vana fides morborum. Perfodiens capitis dolor in ſcenam prodiit, meridie ingruens, ad multam noctem evaneſcens. Periodus exquiſita: nulla febris in pulſu, peculiaris tantum in loco affecto: oculorum globi dolentes, atque lumen refugientes: gravitas, imbecillitas univerſi corporis. Oneris inſtar homini eſt morbus: gravat corpus, & grave reddit frangendo vires.

§. 12. Extracti Corticis Peruviani largo uſu periodicum vitium exturbavimus, haud ulla ſenſibili evacuatione, eo judicato. Aliquas per menſem hiſce auxiliis inducias impetrare datum; ſed hujusmodi vitia facile reverti, & ſæpe minimis de cauſis ingraveſcere conſueverunt.

§. 13. Enimvero quum ad ſuos optimus noſtræ valetudinariæ vir migraret, in eam gravi animi mœrore circumfugam, tanta injuria morbus irruit, ut fere, ita uti dicam, res ad triarios deducta ſit. Multos per dies crebro furentique impetu momentoſam ex utero hæmorrhagiam ægram vitam appetere: Leipothymias, noctes inſomnes, appetitum proſtratum, morſus & ſpaſmos frequentes in artus, extremorum frigus, ipſasque convulſiones præ foribus adeſſe obſervatum fuit.

§. 14. In tanto rerum diſcrimine lente feſtinare cœpimus. Silentio, ac placidiſſima requie imperata: caloris vel motus omni remota materie: corpore leniter refrigerato, appoſitu, ex artubus imis ad renes uſque, ſudarii frigida madentis: Poſca, Acaciæque decoctione ſummis vulvæ oris cum linteo applicita: cucurbitulis in mammis ac dorſo perquam leniſſime injectis; ſanguinis miſſionibus interturbato curſu ad uncias tres quatuorve, non brevibus ligaturis præmiſſis, ex brachio utroque inſtitutis: Simarubæ, Bellidis, & Corticis Peruviani decoctionibus in uſum revocatis: hydrogalæ frigidæ portionibus, parca manu & doſibus infirmiſſimæ vi vitæ aptis, opportune exhibitis. Tandem hiſce omnibus auxiliis poſt quartum quintumve diem hæmorrhagiæ impetum coercitum, vires corporis jam pravo morbi ingenio convulſus, ſenſim erectus obſervare datum.

§. 15.

§. 15. Quamvis res igitur in tuto videretur, verendum tamen, ut ne in primam imbecillitatem cito, ſeriusve recideret ægra. Præterea multis ex anteactis remediis non adhuc locus erat. Multa in præcipiti periculo recte fiunt, alias omittenda. Qua de re, ut ſatis virium corpori redditum eſſe conſtitit, conſilio communicato cum doctiſſimis, deque re medica optime meritis Cll. Serao, Ventapane, Cinquio, ſequentia adnotavimus. [α] Sanguinem e vena miſſum ſemper ſolidum, ſebacea cruſta maculatum, haudque ullum exhibente ſerum, quamvis detentum loco non frigido ſpatio duorum dierum [β] Ægram ſucculento gaudere temperamento, imprimis ventrem ipſi eſſe valde enutritum [γ] Vitam peregiſſe ab exercitatione non confirmatam [δ] Hæmorrhagiis hæreditario vinculo quamprimum alligatam fuiſſe, nunc vero ſolutam [ε] Animi pathematibus mirum in modum diu exagitatam. [ζ] Multos peperiſſe filios: multosque paſſam abortus: atque ultimam hujus generis injuriam ex vehementi animi commotione accepiſſe: nec non furentis morbi epocham, abortus epochæ reſpondere [η] De qua agimus hæmorrhagiam ſenſim eundo vires accepiſſe, a quo primis ad ultimos violentiæ gradus proceſſiſſe [ϑ] Ante hunc fluxum molimina varia in lumbis, dolores gravativos, cephalalgias, multas in cruribus imbecillitates, ac doloro-

ſas

ſas in coxis gravitates præcedere . . . .
[ι] Menſes nullos amplius ſervare modos. Nullo heic lunam imperio illo, quod nimis facile tanti fecit Meadius, gaudere. Sed quotidie cruoris rejectionem adeſſe, altero die leniorem, altero vehementiorem, potiſſimum quum corpus vel motu vel affectu perturbatur vehementi. Iſtam vero vel nunquam ſic deſinere, ut ex toto ſequatur integritas, vel ſui locum dare humori aut omnino ſeroſi, aut ſimili aquæ, qua nuper mactati animantis carnes ablatæ ſunt, aut glutini malo olenti, flavo, & ſatis moleſti ſenſus præ ſe ferentis [κ] Denique hæc omnia eo deveniſſe, ut nimius durationis morbus acquiſiverit.

§. 16. Quo in loco res ægræ tunc igitur eſſent, juxta mecum omnes intellexerunt. Natura dedit aptam hæmorrhagiis temperiem: vitæ ratio confirmavit potentiam: fœcunditatis frequentia ſtruxit, paravitque vias: aborſus horum opus manifeſtavit, auxit, perfecit. Natura uteri tandem vaſis pleniſſima, mollis, ſpongioſa, morbo vim, durationem, atque tot varios conceſſit circuitus.

§. 17. Idcirco ſanguinem ex utero deponi. Id demonſtrat ſymptomatum recurſus, ratio, deceſſus. In his enim diuturnis affectibus copioſa, & acri fluxione perſeverante, vaſcula exeduntur: ejusque loci membra ſuſcipiendo ſanguini aſſueſcent: varicoſa efficiuntur:

tur: plus æquo nutriuntur: putridasque humorum effuſiones moliuntur. Eademque atque ratione viſceris hujus particulas mucum (quem tanti fecit muliebri fluore explicando experientiſſimus Morgagnius) ſecundum naturam effundentes, vitioſa in illis ſecretione, nunc albidam fœtidam, craſſamque materiam & aquoſam effundere.

§. 18. Cæteras corporis evacuationum rationes haud amplius ſecundum naturam ſe habere; ſed ruina quadam ſuperfluitates in uteri cavum, qua data porta, ruere. Stimulo delectantur evacuationes - & conſuetudinis, natura ſe facile ſubjicit imperio.

§. 19. Ulterius omnes ſanguinis effuſiones haud mite vitium conſtituere. Qui profunditur cruor non inutilis, ſed naturæ theſaurus.

§. 20. Hæc omnia hucuſque præviſa indicationes monſtrare. Partes in paſſione conſtitutæ roborandæ: ſua craſis liquoribus concilianda: præſens hæmorrhagiæ moderanda: imminens vitanda.

§. 21. Aſclepiades officium Medici eſſe dicit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. Id votum eſt; ſed fere periculoſa eſſe nimia & feſtinatio & voluptas ſolet. Moderatione heic utendum, nec ſumma ope nitendum, neque remediis vel magna vi, vel leviori ſtimulo Italis pugnandum. Quo in cenſu quædam chalybis mitiſſima præparatio adſcribenda.

§. 22.

§. 22. Ex primis igitur ſupra enucleatis auxiliis, potioribus uſurpatis, curationi adjunximus antiquiſſimum præſidii genus, nempe mitiſſimas vomitiones bis in menſe repetitas, & leni Ipecacuanhæ infuſo obtentas. Hocce remedium haud latet non placuiſſe Freindio, ſed quid huic & magno id dictanti Hippocrati, quid & naturæ morborum medicatrici?

§. 23. Quod reliquum curationis erat lacti dulci, magno fractæ virtutis humani corporis reparatori, tribuimus faciundum. Lac vero caprinum ſelegimus. Capræ multo adſtringente pabulo utuntur, quercu, lentiſco, olea, ſerpillo, thymo.

§. 24. Tandem ad alvi ſegnitiem, lacte utentibus facilem, diſcutiendam ſaponis hiſpanici & ſalis abſinthii portiunculam, tertio quoque die exhibuimus.

§. 25. Poſt decem ab hacce curatione dies, cruoris fluxum aliquando de die remittere cœpit, & poſt duas exaratas hebdomadas ſui locum albo reliquit fluori. Novus verum hinc ordo: novi affectus turpiſſima facies. Periodico incurſus terebrans dolor partem dexteram temporalis regionis ad ſpaſmum uſque per horas ſaltem octo quotidie percutiebat, nulla ſenſibili evacuatione dein nocte decedente. Incaſſum chinæchinæ, aliorundem non vulgarium medicamina, quibus in periodos imperium tribuimus, operi rem concredimus. Extractum Cicutæ in emplaſtri ſpiſſi-

ſpiſſitudine redactum, & particulis male affectis appoſitum, audacter vitii ingenium primo die conturbavit, ſecundo, tertiove fregit, profligavit.

§. 26. Hac lege vixit ægra ſupra duos menſes. Omne ſic voto ceſſit. Menſibus ordo, corpori virtus, vaſis nutritio, utero firma quies rediit: ſenſim medicamentis valere juſtis.

§. 27. Supererat tantummodo muliebris fluoris reliquium. Hujus impatiens ægra aliud atque aliud experiri deſiderabat. Qua de re aquæ mineralis inſeſſus experientiſſimus Medicus ut tentarent, calida tempeſtate author fuit. Res vero non reſpondit. Calefacientia & quæ rariora faciunt corpora, majorem fluxum citare, nuntiavit Aretæus. Illico illis rejectis, brevi noſtra convaluit. Et quidem per menſes bene habuit.

§. 28. Sed quam breviſſimam quietem nobis miſeris pollicetur, varium & mutabile ſemper fatum! Deliciis parentum natum pulcherrimum ſuum infantem, familiæ digniſſimæ unicum ſolamen, variolis peſſime corripi noſtra gemens vidit. Vix filii dilectiſſimi reſtauratio anteacti periculi tædioſa incommoda conſolari cœperat, quum venuſtiſſimam puellulam, ſibique cariſſimam filiam peſſimis confluentibusque variolis noſtra obſervavit conflictantem, & ſecunda quidem vice: nam certo certius conſtabat ætate tenella variolas

riolas confluentes ſubtinuiſſe. Fatis interim ceſſit miſera, æternum matri collachrymanti ſui deſiderium relinquens.

§. 29. Ex quo vitæ tædia, in triſtitiam pronitas, perturbatio menſium, error, exceſſus: hæmorrhagiæ initium acceptum, inſperatusque deceſſus, & reditus, modo liberali remiſſione, modo vix ulla: perennis excurſus glutinis, ſeri, aut putentis aquæ cruentis e pudendis: gravitates in ileis, in femore utroque; & aliquando dolor, potiſſimum ſi fluxus ſupprimeretur. Hiſce omnibus hiſce adficiendum: valetudinariam bene enutritam contineri.

§. 30. Hac via ivimus per menſes fere ſeptem, quum repentina ſanguinis vis ſub menſtruationis periodo, ita potenter petiit uterum, ut fere noſtra in eadem incideret mala, quæ adnotavimus n. 13.

§. 31. Res ægræ in eadem primaque navi conſtituta: iisdem igitur armis, eademque fere ſorte pugnatum. Sed quum tempus menſtruum jamjam inſtaret, a remediis temperari duximus. Menſes fluxerunt & copia quidem, atque duratione non inhoneſta.

§. 32. Sub integritate repente convulſio, acerbiſſimis ſtipata doloribus, coxendicem dextrum prehendit, vomitu, urinæ ſtillicidio, vigilia, ſiti, pedis cruriſque ſtupore, tædioſa periodo quotidie ingraveſcente, & totius ar-

tus

tus affecti tumore ſubſequentibus. V. S. balneis, mercurio dulci camphora mixto, atque appoſitu in partibus affectis emplaſtri Cicutæ, injecta decoctione malvæ, & clyſteriis emollientibus diriſſimum morbum infringere datum: præcedente per naturales partes putentis glutinis rejectione.

§. 33. Optime Hallere, quid de morbi videtur ingenio? Magnum Italicæ Gentis medicæ ornamentum Cl. Morgagnius terrorem incutit triſti documento „ diuturnis uteri hæ„ morrhagiis, veterique fluori albo uteri „ tumores & ulcus ſupervenire ". Terrorem auget hiſtoria mulieris, quam ipſe promit n. 8. Epiſt. A. M. 47. hæc ingratam quoddam habet ad noſtram analogiam. Nec animum præterea in meliorem ſpem ducunt ea, quæ Tu Vir Celſiſſ. docta manu opuſculis in pathologicis exaraſti.

§. 34. Da manum igitur, & conſilium. Infirmitatis tenebroſas rumpe, ſi potes, inſidias. Infirmam nunquam interituram diem vivere dignam, periculo ſubtrahe, & ea, qua pollent Viri ad grandia nati, humanitate tenuibus indulge laboribus homunculi, qui a primis tirocinii medici dictus Magni Halleri nomen, cor, opus excoluit, adamavit.

Neapoli die 26. Julii 1763.

201.

EGNATIUS MONTIUS, Papienſis Medicus, Clariſſimis noſtræ ætatis Medicis.

Si in graviſſima, dubiiſſimaque re, in qua nunc verſor, oracula non conſulerem, vel ignaviæ, vel nullius erga vos, ſacra medicinæ Numina, obſervantiæ, vel nimiæ in me fiduciæ arguendus eſſe viderer. Quæſtio eſt quam maxima mihi coram judice tractanda nuper delato, utrum infans quidam, qui naturaliter pariendus erat, a ſecto matris vix exſpiratæ utero extractus, vivus, & vitalis fuerit, an ſecus.

Opponunt hæc adverſarii: I. Mater multo poſt XXX. ætatis ſuæ annum nupta, arcta, & depreſſa in oſſibus pubis quatriduo maturos ſuſtulit nixus. II. Eamdem matrem tertio nixuum die aucta febris aggreſſa biduo expleto illi mortem accivit. III. Tertio eodem die fluxit humor, & ſanguis quamplurimus, & eo forte die fœtus obvius eſt factus. IV. Chirurgi quidam prænuntiaverunt fœtum jam in utero mortuum. V. Secto matris abdomine tam a matris utero, quam a fœtu multus fœtor prodidit. Fœtus, qui prægrandis erat, adeo interclуſum habuit per biduum in uteri cervice caput, ut hoc oblongo, nec niſi magna vi, ſit ab ipſa cervice uteri extractus. VII. Is in locis, ubi notiores arteriæ ſunt, exploratus, digitoque in os ejus immiſſo nullum vitæ edidit ſignum. VIII. Paulo laceratum habebat ſinciput,

put, & circa ſtomachum, ubi etiam aliquod principium aderat corruptionis, IX. oculum extra orbem ſuum porrectum habebat, & ſub ipſum aliquantulum lividi, & decoriati. X. Lividus tandem erat, ac fere niger.

Hiſce quæ tamen in actis identidem limitant adverſarii, præſertim quod ad fœtorem & corruptionem attinet, nos cenſemus reponere. I. Naturaliter eveniſſe partum difficilem in primiparis, atque adultioribus, nec ideo fœtum ſemper periclitari, ut aliqui ex veteribus cenſuerunt, quum etiam poſt plurium dierum nixus conſtet partos fuiſſe infantes vivos ex Helmontio, Foreſto, Lamottio. Cat. II. Febrem quæ ſupervenit, potuiſſe quidem difficiliorem, ac periculoſiorem reddere partum, ſed non ſemper mortalem, ut pluribus exemplis conſtat ex Moricæo, & Lamottio contra Sylvium, & alios apud Zacchiam. III. Neque humoris, neque ſanguinis fluxum poſſe fœtum occidere, præcipue quum una exierit uterque humor, aut ſaltem hæmorrhagia non præceſſerit, neque ſine dolore hic fluxus fuerit, ut Hippocratis præſagium triſte metuamus. Summum hos fluxus fœtum debilitare ex auctoritate Giffardi apud Jameſium, Nenteri, Paſtæ. IV. Prognoſtica de fœtu mortuo incertiſſima eſſe Paſquali, Lamottio, Deodato a Cuneo auctoribus, nullaque ſigna præfuiſſe, aut adfuiſſe, unde ea pronuntianda. V. Fœtorem illum nihil contra nos valere, quum vel e fæcibus fœtus, vel ab ulcere quidem, aut a gangræna uteri, ſive contiguarum partium

poſſit oriri, quin hi morbi fœtui vitam adimant. VI. Fœtus magnitudinem difficilem partum reddere non mortalem. Hiſtorias in promtu eſſe fœtuum, qui interclusum in pube caput ſine noxa habuere per triduum, & quatriduum, compreſſionemque calvariæ opus naturæ eſſe, quo facilius prodat fœtus, paſſimque id ipſum contingere ob nondum formatas calvariæ ejusdem ſuturas. VII. Indagationes factas ad explorandam fœtus vitam non ſuffeciſſe: plurimas alias ex Boerhaavio, Stempelio (ſic) Deodato, cet. omiſſas fuiſſe penitus neceſſarias: incertiſſima eſſe mortis, & vitæ ſigna Morgagno præ aliis teſte, quod confirmamus exemplis ſumtis (præterea quæ ad Phyſicam ſpectant) e pluribus hominibus a morte per ſpeciem ſaltem revocatis, ex hyſtericis, apoplecticis, ſubmerſis gelu συγκοπη, aut ασφυξια correptis: temerariam tandem, ut Lamottii utar phraſi, eſſe aſſertionem de morte fœtus ex eo, quod arteriarum pulſus non perſentiatur. VIII. Lacerationem ſincipitis potuiſſe vel a digitis, ut conſtat, immiſſis in uterum a Chirurgo, vel ab operatione cæſarea originem ducere, corruptionis autem principium circa ſtomachum a ſanguinis mora forte extra vaſa collecti, vel ob ipſius fœtus conatus, quæ duo tamen nullo negotio curari poſſunt. IX. Oculi prominentiam, vel naturalem eſſe ſtructuram, vel operationis, vel conatuum ſupradictorum effectum, vel etiam morbum, cujus apud Yves deſcriptio, quin ex eo ſit mors concludendos. Fœtus capite prorſus deformi vitalis fuit apud Hallerum, pejoremque capitis conformationem a Lamottio

promte

promte emendari ſcimus. X. Livores, & nigrores provenire vel a ſanguine reſide facile reſolvendo, ut diximus n. VIII. vel a naturali cutis colore per aliquod ſaltem tempus duraturo, vel a fæcum infantis exitu, quin talis exitus, qui paſſim, dum fœtus diu in conatibus manſerit, evenit, certum ſit mortis ſignum, ut de eo docet Heiſterus; nec ideo veram hanc corruptionem fuiſſe. Hujusmodi igitur reſponſionibus remur concludere, non conſtare infantem extractum fuiſſe mortuum. Verum ſunt etiam in hanc rem plurima teſtimonia, infantem ipſum, qui maturus fatetur ac probe fictus, oculos moviſſe, os pandiſſe, vagiviſſe, reſpiraviſſe, ventrem exoneraſſe, quas actiones licet adverſarii conentur ineptiſſimis ſpeculationibus etiam mortuis communicare, videtis, quam levibus ipſi innixi ſint fundamentis, quæ tamen hucuſque a judicibus plurimi æſtimantur. Nos ſimplices motus vitalitatis paulo minus magni facientes, utpote qui revera aliquando in recentibus cadaveribus, vel in eorum ſeparatis viſceribus viſi ſunt, dilucide nitimur expedire, vagitum, atque reſpirationem nonniſi poſt ingreſſum aëris in pulmones fieri poſſe, nec aërem pulmones ingredi niſi fœtus vivat, quod per experimenta, ut ſcitis, probatum eſt: tum alvi dejectionem moriente ægro fieri quidem, non autem poſt aliquod a morte tempus, quum non aliter actio hujusmodi perficiatur, quam ex inteſtinorum viva vi, ut ajebant veteres, & nos etiam dicere poſſumus, expultrice.

Dum autem hæc omnia italico fuſiori calamo exaramus, breviſſimum judicium veſtrum ſuper hac re, quod magni ponderis apud me inprimis, ſed quod magis optamus apud judicem quoque futurum eſt, maxima reverentia Vos rogo, Viri Clariſſimi, quibus poſtea tum lucubrationem hanc meam integram, tum egregia veſtra judicia, tum ſeorſim duo alia mea opuſcula, quæ mox cudenda paravi alterum italicum titulo: *Dialoghi ameni, e critici*, latinum alterum *de Orthopnæa ſicca terribili* omnia typis cuſa grati animi, & humillimi obſequii ergo in exiguum munuſculum curabo mittere. Valete, atque iterum valete Præſtantiſſimi Viri Reipublicæ bono nati, meque veſtrarum virtutum admiratorem, amate.

Data Prid. Kal. Aug. MDCCLXIII. Garbanæ prope Derdonam.

202.

CALDANIUS.

Quod mihi cures, Amice celeberrime atque amantiſſime, pulcherrimam tuam anatomicarum diſſertationum collectionem, tot gratias ago, quot quæ eſt ſumma imbecillitas mea, agere poſſum.

Recenſe, quod precor, italos libellos quos deſideras, certus quod, ſi poſſint inveniri, illico ad Te perveniant.

D. Venetiis d. 7. Aug. 1763.

203.

203.

DE LA CHENAL.

Cum a nobiliſſimo Domino André Pharmacopæo regio Hannoverano naturalis hiſtoriæ ſtudioſo acceperim, brevi eum abſoluto itinere alpino Rupem eſſe aditurum, non potui quin paucis hiſce enixe Te rogem, ne me Botanices ſtudioſiſſimum, & a Te diſcendi cupidiſſimum penitus derelinquas. Licet enim negotia mea multifaria parum hactenus otii reliquum fecerint, quod botanicis laboribus impendere potuiſſem, minime tamen animus eſt ſtudio hocce amœno mihique longe gratiſſimo penitus valedicere, cum potius ſpes elucеſcat, meliora ad hoſce labores tempora eſſe ſucceſſura. Hacce quidem æſtate pauciſſimos inſtitui excurſus botanicos, nonnullos tamen detexi cives Baſileenſes, Digitalem purpuream, Filicem ſaxat. corniculatam, Alſinem alpinam glabram, Coronillam fruteſc. minimam, Viciam ſingularem ad eam accedentem, quæ in Enum. helv. depicta eſt, Corallorrhizam veram, nonnullos præterea muſcos, Fontinalis novam ſpeciem, de qua olim jamjam ſcripſi circa Montbelgardum a me lecta, Sphagnum acaulon maximum foliis in centro ciliaribus, Mnium I. Dillen. &c. Homalocenchrus ubique vulgatiſſimus non eſt. Grato animo, Vir Illuſtriſſime, plantas abs Te acciperem novas rarasque, de quibus in poſtremis tuis Emendationibus mentionem facis, bene memor, quod præterito jam anno eas mihi promiſeris.

L 4 Vale,

Vale, Vir Illuſtriſſime porroque favore tuo amplectere.

Baſil. d. 11. Sept. 1763.

204.

LUDWIG.

Ita nunc in eximio opere Phyſiologiæ Te, Vir Generoſiſſime! progredientem video, ut proximis annis finem ſperare, & Tibi de exanthlatis his laboribus gratulari poſſimus. Licet vero Te lubentius in Germania noſtra, Aaademiæ noſtræ vicinum haberem, cum tunc totum noſtris ſtudiis deditum viderem, licet in patria publicæ res, aliis forte committendæ, Te nimium retrahunt; tamen jam prævideo Te & Muſis, & patriæ & . . . . finem vitæ forte totum patriæ natum eſſe. Ita vivas diu patriæ, ſed otium litterarium tamen Muſis ſit deditum.

Non tantum vero in experimentis phyſiologicis, ſed in botanicis quoque occupatus es, & ex omnibus Helvetiæ angulis plantas colligis. Diſquiſitio, quæ magis utilis eſt, quam noſtra horticultura. Scias enim me per totam æſtatem in reparandis horti noſtri ruinis occupatum fuiſſe, ſed ærumnoſus hic labor inanis fuit, humida enim & frigida aëris temperies, quæ per totam æſtatem mihi impedimento fuit, ita aucta fuit, ut per menſem Septembrem & Octobrem nimium aucta omnem ferme laborum fructum ſuſtulerit. Miſerrimam

rimam pronuncio horticulturam, quæ naturam nunquam cogendam cogit, præſtantiſſima ſemper manet diſquiſitio plantarum in loco natali, ubi veræ naturæ viæ deteguntur. Quot errores in rem herbariam & inprimis in ſpeciebus definiendis, per plantas in hortis cultas & diſquiſitas irrepſerunt.

Hæc ideo præmiſi, quo in labore ſuſcepto conſilio tuo utar. Cum vero ſtudio botanico jam valedixerim, tamen in horticultura oblectamentum ſenii quæſiverim, catalogum horti, qualem olim Waltherus in tres claſſes diviſum expoſuerat, ad recentiorum curas exigere, & in uſum commilitonum & eorum, qui hortos colunt, proponere volui. Additis variis monitis in cultura obſervandis. Sed tædioſiſſimum laborem ſeponam, niſi tuo conſilio in eo continuando adjutus.

Methodum botanicam ad normam morborum direxit Sauvageus, in noſologia methodica, ego vero ad medicinam faciendum parum commodi redundare video, interim non taxabo laborem, qui magis delectat quam inſtruit.

Tractationem de vera morbi idea hac occaſione elaboravi, ſed rude adhuc opuſculum, quod limam exigit, quam hoc anno adhibere non poſſum, cum totus in inſtitutionibus chirurgicis perficiendis occupatus ſim.

In ſtudiis noſtris ii qui chemiam præ reliquis colunt non deficiunt, ſed anatomes cultores & Profeſſores rariſſimi inveniuntur. Hanc ob cau-

ſam hac hyeme ſcholam inſtruxi 6. juvenum, qui qualibet ſeptimana mihi prælegunt obſervationes in cadaveribus inſtitutas, non eum in finem ut colligantur, ſed ut tantum me monitore diſcant, quomodo in obſervandis, detegendis & deſcribendis corporis humani partibus verſari debeant. Sic nihil ipſe perficio, ſed aliis inſerviendo tempus conſumo, & gloriam in laboribus diſcipulorum quæro.

Opuſcula tua quidem nondum vidi, placet tamen inſtitutum, cum vero ſimul intelligam Te ea quæ de arteriis corporis humani in faſciculis elaboraſti, ſigillatim edere velles, maxime quidem ſcire deſidero, an novæ acceſſuræ ſint obſervationes. Sed ſubſiſto ne Tibi moleſtus ſim.

Vale interim & mihi fave.

Dabam Lipſiæ d. 20. Octobris 1763.

205.

ACHILLES MIEG.

Junci, quem in ultima epiſtola recenſui, a me pro *bulboſo ſ.* 9. Linn. Spec. & 10. Enum. helvet. habiti, & apud nos in paludoſis minime rari, quem deſideras ut mittam, duo exigua exemplaria (ex M. Bœtzberg) huic epiſtolæ incluſi, cum pro unica hac plantula alium mittendi modum ignoraverim.

Vere

Vere epidemicum morbum nunc tandem nullum amplius habemus. Morbilli, qui per æſtatem & autumnum copioſiſſimi, & valde benigni fuerunt, nunc fere ceſſant, poſtquam, frigidiore accedente tempeſtate, paulo maligniores & ſubinde purpurei apparuiſſent. Dyſenteria, quæ in aliquot vicinis pagis maligne graſſata eſt, in urbe hoc anno fere nulla fuit. Purpuram, cum maligna angina junctam, quæ per aliquot annos continuos, a fine hyemis ad finem æſtatis, ingentem hominum numerum omnis ætatis invaſerat, animadverto hoc anno in chronicam eſſe mutatam, multo quidem benigniorem & rariorem, ſed vix ulla medela radicitus e corpore exſtirpandam.

Inter alios ægrotos nuper virum, circiter quadragenarium, tractavi, qui ſpatio paucorum dierum aliquot menſuras coagulati & picei ſanguinis per vomitum & alvum reddidit, junctis tandem deliquiis & ſumma debilitate. Brevi vero tempore convaluit ex copioſo potu aquæ frigidæ, cum admixta notabili quantitate ſpiritus ſulphuris ſyrupo violarum edulcorati, adjunctis crebris clysmatibus ex ſero lactis, & victu ex ſolo oryzæ cremore.

In juvene, 20. circiter annorum, ſtrangulationes faucium vidi, hyſtericis feminarum omni reſpectu ſimillimas, vulgatis antiſpaſmodicis primo paulum mitigatis, tum pilulis ex Aſa fœtida, extracto Aloes aquoſo, mercurio dulci & camphora, ob vermium ſuſpicionem aliquamdiu datis; ſed mox iterum recrudeſcentes; ex optimis remediis

mediis nervinis, rad. Valerianæ, pulvere foliorum aurantiorum, & ipſa tandem Kinkina, potius exaſperatas, quam miteſcentes; tandem oleo Cajeput ſublatas.

Vale, Vir Perilluſtris, mihique porro fave.

Dabam Baſileæ d. 12. Nov. 1763.

206.

MORGAGNUS.

Tuæ, Vir ſumme, excellentis Phyſiologiæ Tomus V. multum a me ex eo tempore deſideratus, ex quo ſignificaveras, miſſum abs Te fuiſſe Tigurum, tradendum Cl. Paſtæ Bergomi *Franço*, neque ante hujus menſis initium ei traditus eſt, nec ſine perſoluto vecturæ pretio, quorum alterum dixi, ne mireris, me gratias antea non egiſſe, alterum vero non aliam ob ullam cauſam adjeci, niſi ut monere poſſis illos, qui Bergomum ferendum curarunt, haud bona cum ipſis fide eſſe actum. Cæterum (id quod unice optabam) illæſus ad me pervenit his ipſis diebus faſciculus, exemplaria laudati Tomi continens duo, quorum alterum, ut ex inſcripto cognovi nomine, ad Cl. Plancum ſpectans, per Venetum Bibliopolam Paſquali, ad illum, ut ſoleo, quamprimum mittam; alterum autem, pro quo, & pro additis, mihi ſemper gratiſſimis diſſertationibus magnas gratias ago, ſtatim ac Bibliopegus remiſerit, tanto libentius perlegam, quod circa quaſdam verſatur partes,

tes,

tes, in quibus olim & ipſe peculiarem operam poſui. Utinam apud nos ſæpe prodirent libri non indigni, qui ad Te mitterentur. Sed præter unum, cæteri leves ſunt ex perpaucis, quos cum faſciculo quodam parvo Cl. Planci conjunctos, propediem Bergomum mittam. Utut eſt, velim ad Te citius perferri, quam mea opuſcula, quæ an ad tuas pervenerint manus necdum pro certo ſcio, ut neque an egregie, ut cum omnibus cupio, valeas; ego quidem pro ætate ſatis valeo. Si quando ad me ſcribes; illud iterum a Te quæſo, ut per amanuenſem id facias; quam plurima enim manu tua ſcripta non intelligo, idque tanto ægrius fero, quod ſi quid forte jubeas, invitus ignorem. Vale Vir Illuſtr. & me, quod ſoles, redama.

D. Patavii 20. Novembris 1763.

207.

ROSÉN VON ROSENSTEIN.

Tua valetudine ut nihil mihi ſuavius eſſe poteſt; ita quintam partem Phyſiologiæ tuæ, cujus recenſionem in Journal de Medecine legere licuit, maximopere quidem expeto. Cenſuras acerbiores vel Albini vel cæterorum, qui parum Tibi favent, fac contemnas: quippe veritas ipſa palmam tandem & triumphum ſibi vindicabit, poſt nebulas contra ſentientium diſpulſas. Parum vero abeſt, quin vehementiam Dni. . . . . graviter incuſem,

ſem, quæſtionem, nondum experimentis ullis a ſe ſtabilitam, ſimul moventis, ſimul decidentis. Cave tamen, per omnia rogo, ne hæc Tibi remoram injiciant ſcripta, quæ elucubratus es ſolidiſſime, & publico maxime deſervitura videbis, cum erudito orbe quamprimum communicandi, quo nomen tuum, uti jam diu promereris, immortalitati conſecretur. Non ſine voluptate percepi uſum ex inventis Dni. Störck permagnum; quemadmodum hac æſtate, extracti conii fructus varios deprehendere licuit in carcinomate mammæ, quo adfligebatur mulier quædam paupertina. Sic in dorſi dolore coxæ & femoris dextri apud pauperem, per ſeptimeſtre ſpatium decumbentem, adhibui Extr. Aconiti cum ſaccharo mixtum, unde convaluit ſat auſpicato. Neque intermittam ſignificare Dn. Strandberg foliis Aurantior. feliciter curaſſe duos infantes epilepſia laborantes. Eſt illud etiam novum, quod Medici Anglici e Suecia, hoc anno, exportarint magnam copiam foliorum uvæ urſi, quæ tamen medicina in noſtratibus parum, aut nihil, valuit. Decrevit Academia Scientiarum luci publicæ committere, quæ de morbis infantum ſcripſi. Cura Dni. Wargentin præterito vere ad Te transmiſi libros heic editos, qui alicujus eſſent momenti. Eſt vero deſcriptio Dalecarliæ per Directorem *Hülphers* omnium accuratiſſima. Inter illos, quos miſi, erat etiam Tom. I. Spec. Plantar. Linnæi Ed. nov. Jam alterum Tomum Dno. Wargentin tradam, ut ejus cura ad Te perveniat. Subtribunus *Dahlberg*, qui Surinamenſem civem uxorem duxit, huc cum illa

illa emigravit, ſecumque adportavit radicem arboris cujusdam, cujus maxima erit vis in febribus intermittentibus & ſubintrantibus, prout edoctus fuit a ſervo ſuo *Quaſſi*, unde factum eſt, ut von Linné diſputationem ediderit de *ligno Quaſſiæ* v. Spec. Plant. p. 553. & comm. Hort. I p. 183. Tab. 94. In infuſo aquoſo ad unciam ſæpe porrigitur. Dolet mihi referre, noſtrum *von Dahlin* obiiſſe in paroxyſmo febris intermittentis regularis, facile cortice curando, niſi frater ejus Bökmann tum ad opem ferendam evocatus Holmia in Drottningholmenſe palatium, ubi oppreſſus jacebat, utpote totus quantus Stahlianus, id remedii diſſuaſiſſet. Erat beate defunctus nunc aulæ Cancellarius, & inter primarios regni Viros jure referendus. Ex hiſtoria ejus Suecana in MSC. exſtat vita gl. m. R. Guſt. Adolphi & Chriſtinæ Reginæ prelo parata. Funus ipſius magnifico ſumtu efferri juſſerunt Rex & Regina, eodemque in monumento ſepulcrali locus vacabit noſtro Klingenſtierna, cui, ni valde fallor, hydrops mortem accelerabit, ſiquidem ope ſcillæ, uti prius, non niſi ægerrime, videtur poſſe malo inveterato liberari. Tempus æſtivum & autumnale in palatio Drottningholmenſi fere exegi, adfuturus Regi & Reginæ jam hoc jam illo tentatis morbo, tum vero Regiæ proli ſcarlatina laboranti; tum quoque mihi licuit quotidiano convictu frui Dni. Beylon, recte qui valuit & bonis omnibus eſt commendatiſſimus. Litteræ Göttingenſium denuntiavere, ſe ardere deſiderio incredibili Tui, Göttingam verſus, reditus. Fac data occaſione me certiorem

de

de re admodum inſperata; ſimulque ſcribe, num aliquid operis moliatur Dn. Zimmermann & Tiſſot: itidem anne Wagneri arcanum, quo contra febrim miliarem adeo felici ſucceſſu eſt uſus, fuerit Ipecacuanha parvis doſibus data. Hæc ſingula Te haud fugere crediderim. Permanebo vero ſemper S.

Stokholmiæ d. xv. Dec. 1763.

208.

CALDANIUS.

Amicus Fontana ſalutem Tibi plurimam dicit Vir præſtantiſſime; atque exorat, ut citius quantum per Te fieri poteſt injuncto conſilio reſpondeas, & mihi reſponſionem mittas. Unus ex ejus amicis cariſſimis id ab eo enixe efflagitavit: efflagitat autem ipſe, ne ob hoc ipſum, audacem forte putes. Non potuit volenti amico repugnare.

Completa eſt reſponſio mea ad le Catium. Ea longior eſt quam credideram, neque integra in veſtro diario locum habere poteſt. Nunc inter Molinellii manus verſatur, ut illam expoliat. Typis Venetis recudam. Longam fecerunt experimenta quædam a me facta in pullis & anguillis circa irritabilitatem, poſtquam animalibus iſtiusmodi medullam ſpinalem deſtruxeram; & etiam animadverſiones quædam in articulum le Catii de irritabilitate, in quo, niſi ego plurimum fallor, cum

cum de anima ſenſitiva verba facit, nonnulla excerpſit ex *Mettrie*, quæ viriliter ſunt refutanda. Utinam res tuas measque, ſi non bene, ſaltem mediocriter perfecerim! Labor certe fuit ſummus in præcludendo omni le Catianæ reſponſionis effugio. Molinellio eam partem expoliendam dedi, quæ circa Chirurgiam verſatur.

Expecto icones meas. Statim enim ac reſponſio ad le Catium lucem viderit, ad aures obſervandas minutiſſime me conferam. Tu in Phyſiologia complenda (opus cedro dignum) perge Vir præſtantiſſime. Ego, quæ eſt imbecillitas mea, in nugis verſabor. Epiſtola le Catiana mea inſcripta eſt Göttingenſi Academiæ. Diſplicebitne? Nihil in ea continetur quod non ſit honeſtiſſimum. Tu vale, & me, ut ſoles, ama.

209.

CALDANIUS.

Accepi conſultationem, atque icones meas, pro quibus omnibus gratias ago maximas.

Si ex me quæris Catii refutationem antequam prelo committam, mone, & ſtatim mittam. Sin minus, ea eſt inter nos amicitia, ea eſt mihi erga Te reverentia, ut exemplar primum, cum edita fuerit, Tibi curare debeam. Adde quod inſcripta eſt Academicis Göttingenſibus, quibus cum Tu præſis, fieri non poteſt, quin Tibi ipſi exemplaria nonnulla mittam Academiæ ipſi offerenda.

 In

In ea plura dico de *anima ſenſitiva*, ex qua Catius deducit irritabilitatis phænomena: neſcio an hac de ratione quidpiam opponi poſſit Sauvagio: facilius erit potius, ut ipſe aliquid inveniat opponendum, quo animæ ſuæ privilegium tueatur. Videbimus impoſterum. Cum vero addam in fine experimenta facta in pullis & anguillis, forte in poſtremis invenies aliquid, quod Whyttii experimenta evertat. Enimvero in aëre Italo, ſecto anguillarum capite, & ducto filo ferreo per thecam vertebrarum ſic, ut medulla deſtruatur, contorquentur anguillæ omnes mirum in modum. Eadem eſſe deberet in ranis lex; verum quamprimum experimenta, de quibus mones, habebis; Teque de eventu certiorem faciam.

Gaudeo ſummopere, quod in animalium prægnantium diſſectione verſeris. Forte aliquid invenies pro irritabilitate promovenda, cum in partium elongatione atque incremento motus cordis requiratur, quod forte in motum cietur ab ſemine maſculino. Vale, & me, quod rogo, amare pergas. Non intelligo titulos, quibus nomen tuum inſignitum eſt. Scribe notis grandioribus. Iterum vale.

210.

FELIX FONTANA.

Opuſcula minora & *Phyſiologiæ* tomum quartum accepi, legique. De tam præclaro munere gratias ago quam maximas. Proh Superi quanta doctri-

næ

næ profunditas ! quanta eruditionis amplitudo ! quam magnus Hallerus !

Mitto Tibi opuſculum meum *de Iridis motibus*, typis tandem vulgatum ſtimulantibus amicis. Nova quædam, nec ita pauca, nec contemnenda videor mihi proponere & demonſtrare. Circa ſternutationem, quam non mechanicum, ſed voluntarium motum eſſe oſtendo, adverſarios hic inveni complures; ſed argumentis meis reſpondere dum coguntur, ſe torquent: ſententiam hac de re tuam avidiſſime exſpecto. In promptu habeo opus longe majus *de Irritabilitatis Hallerianæ Legibus*, quas obſervationibus unice & ratiociniis inde immediate depromptis ſuperſtruo, rigideque demonſtro. Hoc ſi typis edere vel Lauſannæ, vel alibi Tibi contingeret, mitterem ad Te manuſcriptum; atque interea mentem tuam præitolabor.

Invenies hic incluſam epiſtolam, quam per me Tibi traditam vult Maſottus amicus meus, Chirurgus eruditus & doctus, qui libellum hunc ſuum Tibi dono dat.

Vale, Vir immortalis, Teque patriæ, litteris, amicis incolumem diutiſſime ſerva.

Florentiæ Idib. Jul. ann. 1764.

211.

BALTHASAR COLLINIUS ALEXANDER BICHIERAGIUS.

Nobiliſſima fœmina temperamento ſanguineo prædita, ſummaque pollens ſenſibilitate, duplici fœcunda partu, vigeſimum quartum ætatis annum attingens, dum ſæviſſimis animi cruciatibus laceſſeretur, corripitur morbillis (gallice Rougeole) qui anno 1761. per urbem totam graſſabantur. Tuſſis una ac febris, quibus id morbi genus ſtipatur, acerrimæ, diuturnæque fuere, nam per integrum Maji menſem permanſere; aphonia autem inde orta non antea receſſit, quam integris ſex exactis menſibus a morbi invaſione. Interim nulla quies animi, iisdem ſiſtentibus perpetuo cauſis, quibus mens poſſet exagitari; motus ſpaſmodicos circa diaphragma, ex quibus deglutitio ad integros dies perciperetur, & cardialgiam incerta lege recurrentem duabus circiter horis ab aſſumto cibo produxit. Fruſtra, ut hæc mitiora ſaltem fierent, ad paregorica diluentia, quandoque & chalybeata, confugere Medici. Verum quod ad cardialgiam ſpectat, ingruente autumno anni inſequentis non amplius incerta periodo, ſed conſtanti lege ægram quotidie vexare cœpit iisdem a partu horis. Acceſſit ad hæc febricula ex intermittentium genere, cujus cauſam inquirentibus occurrit levis in hepate obſtructio, ex qua cætera incommoda originem ducere tunc temporis crediderunt.

derunt. Quapropter purgantia primum, mox ſaponacea, dein vero mitiſſima chalybeata medicamenta intrinſecus tentata fuerunt, nullo quidem emolumento, nam præter ſaponacea cætera offeciſſe in comperto eſt. Itaque ad aquas Piſanas miſſa. Hæ ſolutionem obſtructionis hepaticæ patrarunt, ſed totius corporis macies hinc ſequuta, dolorisque ſub enſiformi cartilagine augmentum cauſam morbi in hepate male locatam arguerunt. Adde quod dolor, qui antea ſub mucronata tantummodo vires cart. exercebat ſuas, ad magnam deinceps marginis ſpuriarum coſtarum partem in thorace ſiniſtro ſeſe expandere cœpit, tactum vel minimum refugiens, & muſculorum abdominalium initio tenſionis ſpecimen inducens, præſertim ubi magis ingraveſceret. Inter ea, quæ maxime augent incommoda recenſenda, præcipua ſunt vectio in rheda, adſcenſus ſcalarum, ciborum quorumcunque abuſus, irritantia medicamenta, animi pathemata; lac tantum aſininum, & juſcula viperata præſertim poſtremis hiſce temporibus ſaltem non nocuiſſe vidimus, ex ſaponaceis vero aliquid emolumenti percepiſſe. Cæterum in toto morbo ſtadio perſæpe tuſſi abſque ullo exſcreatu laboravit, nec unquam defuit difficilis reſpiratio ſæviente dolore, quo in caſu levaminis aliquid ſibi advenire fatetur ægra, ſi anterius inclinato corpore diu maneat; pulſus autem, non debilis, non inæqualis, ſed quadantenus contractus & lente ſaliens.

Quid autem de hujuſce morbi natura cenſendum ſit non facile dixerim. An ipſius ſedes in

ſepto transverſo? Id & nullum, quod ſaltem adpareat in jecinore vitium, nullaque in liene morbo ſuſpicio, cardiacique doloris augmentum eo tempore, quo aër ex cibis evolutus ventriculi molem auget, ſuadere videntur. An ſpaſmodici motus ſupradicti viſceris muſculares fibras, quæ ſterno, coſtisque adhæret, plus juſto diſtraxere, unde locus in cellulari eisdem interpoſita alicui coagulo ſit datus? An ſi hæc veriſimilitudinem aliquam præ ſe ferrent, medicamina ex hydrargyro cautiſſime parata profutura cenſenda ſunt?

In tanta rerum obſcuritate ad Te Sapientiſſimum Virum, tanquam ad aram confugimus, qui innumeris edoctus extiſpiciis viam ſolus monſtrare potuiſſes, qua & ad morbi cognitionem, & ad veram curationem tuto deveniamus. Vale.

Dat. Florentiæ Kal. Novembr. A°. 1763.

212.

JOH. GESNERUS.

Ea ſpecies *Raygraſs*, quæ Avena elatior, paſſim a noſtratibus colitur, læte & copioſe creſcit primisque annis pabulum tenerum reddit. Vetuſtius caules duriores, & in pabulo jumentorum minus gratos exhibet.

Vitodurani in 18. infantibus hoc anno inoculationem optimo cum ſucceſſu inſtituerunt. Evaſerunt omnes, cum fere reliquorum, quos natu-

rales

rales variolæ invadebant, pars quarta obierit, aut miſere læſa fuerit.

Zieglerus verſionem Commercii technico-philoſophici D. Lewis ſuſcepit: utriusque linguæ & rerum quæ in opere exhibentur gnarus eſt: & ex familiari commercio litterario, quod cum D. Lewis colit, illuſtrationibus operis, ſi forte opus fuerit, non carebit.

Cl. Miegius obſervationes circa inoculationem Baſileæ inſtitutam in ampliori epiſtola cum meo Schinzio communicavit. Hæc cum altera epiſtola D. Sulzeri, in qua diarium inoculationum Vitoduri inſtitutarum exhibetur, alteri Tomo Actor. Societatis phyſicæ inſeritur.

Vale Vir Illuſtris & Amiciſſime & me perge amare.

Turici ad d. 4. Januarii MDCCLXIV.

213.

DAV. CHRIST. SCHOBINGER.

Litteræ tuæ vetere amicitia plenæ, Gillerum tuum proh dolor! non amplius vivum ſed mortuum offendêre. Duodecim circiter ante earum adventum diebus opt. Gillerus ex apoplexia revera fortiſſima, nihil præſentiens, intra bihorium vivis ereptus ad beatos Cœlites tranſiit. Lugemus, quotquot in urbe noſtra boni ſumus, acer-

be inquam lugemus ejus jacturam. Prudens enim & pius Magiſtratus, & feliciſſimus nobis ereptus eſt Medicus. Anno proxime elapſo vix ac ne vix quidem eum febri malignæ cum arthrit. complicatæ periculis eripuimus; ex quo morbo tamen adeo poſtea convaluit, ut ſecuros nos omnium periculorum pro tempore crederemus. At in ultima ſtrage ne remedium quidem præ mali velocitate & vi adplicari potuit. Quid vero his Te morer, ita voluit ſummum & nunquam non benigniſſimum Numen, nobis nihil niſi ſubmiſſio & adoratio ſupereſt.

Quotquot ſanguinis vinculi aut amicitiæ ei fuimus vivo juncti, & Tibi, Perilluſtris Vir, ſummas habemus habebimusque gratias, pro tot ſinceræ amicitiæ teſſeris in b. Gillerum, dum viveret, collatis. Literas humaniſſimas nuper ad eum datas beati Gilleri loco legi, & cum dulciſſimo animi gaudio amicitiæ ejus in animo tuo nihil tot annorum ſpatio deceſſiſſe cognovi. Pro bono valetudinis tuæ ſtatu Deo ſupplices ago gratias, & ut ad ſeros uſque annos eâ inconcuſſa frui poſſis, ex animo a Numine adorando & beniguiſſimo adprecor. Idem & ſuaviſſimam uxorem & nobiliſſ. familiam tuam porro cumulet omni felicitatis veræ genere.

Permitte, Perilluſtris Vir, ut breviſſimis obſervationum ſupra dictarum eſſentialia adponam, quam paucæ & leves etiam ſint.

Abſceſſus in fœmina 23. ann. ex regione lumbali retro extremi coli viciniam per celluloſam deorſum

telam deorſum inter muſculos nat. & fem. delapſus, & a natura diſſipatus evanuit, etſi in veteri loco periculum inſigne minatus ſit & diu ibi fuerit.

Ventriculus in pylori regione & ulterius utrinque cartilagineus, ſcirrhoſus, cum ſcirrho magno Pancreatis in ea regione & ſecundum duodenum, cum foramine ſ. pylori ſ. duodeni primi, in caveam meſocoli hiante in cardialgico multorum annorum, quem a morte diſſecui. Idem ventr. in fundo ſuo ſiniſtrorſum erat valide inflammatus, & certe diſtinctiſſime ſanguis non in ſolis vaſis, ſed in celluloſa tertia hæſit effuſus.

Pus in hæmorrhoidario, & crebris alvi prolapſibus laborante, ex extremo inteſtino recto undique exudans, hos prolapſus inflammatos reſolvens, & ſedans. Sine ulla ulceris aut fiſtulæ ſuſpicione acerrime in rem inquiſivi, & certus ſum, hoc pus ex vaſis inflammatis transſudare ſine ſubſtantiæ læſione. Nec ex cavea inteſtini venire itidem certus in hoc exemplo ſum.

Pulmo hydropici, & phthiſici, ſiniſter pure pleniſſimus ſine ſubſtantiæ ulla conſumtione. Vidi meis oculis in ſectione, ad quam me invitavit Collega optimus D. D. Zollicofer, præterita æſtate. Hunc pulmonem undique conſcidimus, ſed nullam caveam, ubique ſolidæ celluloſæ & vaſorum & bronch. fruſta integra reperimus, ſed preſſa pus copioſiſſ. fundebant.

In ancilla robuſta, ſed menſtruis irregularibus & deficientibus laborante vidi, tumores digi-

torum inflammatos & ruptos ſubinde, tempore menſtruo & pro menſtruis, quæ parciſſima erant.

Mors infantis ex linguæ in fauces retractione, ob frenulum ab obſtetrice nimis ſolutum, ſecundum Petitum. Nec hæmorrhagia cauſa erat, quæ nulla fuit.

In homine, cui occiput ex vulnere & contuſione nudatum cute omni & neſcio quomodo cum occipit. muſc. parte dependebat, ut ſolum fere pericranium album adeſſet, nullus ſenſus, cum ille locus aqua cum aceto miſta elueretur, ſed acerrimus ubi cutis dependens tangebatur. Erat omni ratione mentis compos.

Tales & aliquot ejusd. generis aliæ obſervatiunculæ ſunt, quas ſuo tempore, Vir Perilluſtris, diario noſtro inſerere paro, paulo latius diductas, ſi credas ſine famæ detrimento & cum aliqua utilitate id fieri poſſe.

Bibliothecæ Gillerianæ ſat copioſæ & bonæ catalogus nunc paratur, ſed ſine pretiis adpoſitis, nullo ordine ſcientifico, quem ubi primum impreſſus erit, Perilluſtris Vir, Tibi mittam. Vendentur hæc omnia & ego jam partem ſed parvam mihi comparavi, una cum elegantiſſimo, quod poſſedit b. Gillerus, ſceleto, quo valde gaudeo.

Blakwellianum herbarium pro 50. florenis emi ex iisdem libris, quantum ejus hactenus prodiit. Ego jam a longo tempore nullam ſpem habui hanc, ſi ſuperviverem, bibliothecam quoad medicos libros, poſſidendi; hinc omni mora abjecta optimos

optimos libros, undequaque potui, pedetentim comparavi, nec ad æſtatem uſque præteritam ſat felix fui, ut faſciculos tuos anatom. acquirerem. Sed tunc & hos emi cum Euſtachio Albini. Res familiaris anguſtior non niſi tarde mihi progredi permittit.

At nunc quantum poſſum literas has nimis diffuſas Tibi, Perilluſtris Vir, deprecor. Veniam quæſo des diſcipulo Tibi devinctiſſimo, & qui Te ad mortem uſque venerabitur amabitque. Amoris ejus, quo beatum avunculum es complexus, parte, quæſo, Magne Vir, & me porro bees, lætumque inter tot vitæ mœrores reddas. Deus Opt. Max. Te cum tota Familia tua ſalvum ſervet omnique ex parte verè beatum. Ita vale, Xir Perilluſtris, & Schobingero tuo porro ſave.

Dabam St. Galli d. 7. Febr. 1764.

214.

CALDANUS.

Curo Tibi, Vir amiciſſime ac præſtantiſſime, per Cl. Somiſium partem eorum librorum, quos deſideras. Nondum reliqui ex Florentia ac Cremona pervenerunt: eos tamen alia occaſione mittam.

Spero ad Te jam perveniſſe ſeriem experimentorum in ranis, quæ tuo nutu inſtitui. Averem ſcire num ea ſint quæ deſiderabas, ſi forte aliquid mancum eſt, ſi edere inſtituis, vel demum ſi author

ſi author ſis, ut ego ea publici juris faciam, & addam reſponſioni le Catianæ, cujus tertia pars circa eadem ferme experimenta in pullis & anguillis inſtituta verſatur. Hoc ſi faciendum putas, mone quamprimum: dum enim duæ quæ antecedunt partes prelo committuntur, non deerit tempus addendi tertiæ parti ea pericula, de quibus ſermo eſt.

Dabam Venetiis die 18. Februarii 1764.

215.

CALDANIUS.

Aut periculorum ſeries, quam tuo nutu Vir Præſtantiſſime, inſtitui, ad Te pervenit, aut certe nondum, etſi menſis jam excurrerit, a quo per litteras Tibi datas ad Somiſium miſi. Si primum, videbis facile ea me pericula inſtituiſſe, quæ volebas; nam primo loco amputavi ranarum caput, irritavi medullam ſpinalem, tum ſtatim ab amputatione, tum poſt quorundam minutorum quietem; ſemper tamen convulſiones ſequutæ ſunt. Ergo non video quare iterum per extremas litteras experimenta eadem facere jubeas. Quod cum conſidero, facile ad credendum adducor, litteras illas meas nondum ad Te perveniſſe, etſi in tuis poſtremis ad cætera reſpondeas, quæ, niſi ego fallor, ex Te, per meas ipſas litteras poſtulaveram. Tolle igitur, quoad citius potes, difficultatem & moleſtiam hanc meam.

Vale Vir præſtantiſſime, & me, ut ſoles, ama.

Dabam Venetiis d. 25. Febr. 1764.

Refutatio le Catii ſub prelo eſt.

216.

CALDANIUS.

Quæris ex me, Vir præſtantiſſime, ut ſub aere Italo leve experimentum faciam, & moneam de eventu: mentem vero tuam his ferme verbis declaras: *Ranæ caput obtrunca. Sollicita medullam ſpinalem, vel nervos, & obſerva num ſurdi videantur muſculi, num vero poſt aliquod tempus convellantur.*

Experimenta iſtiusmodi in pullis & anguillis jam confeceram in alium finem, eaque ſub prelo ſunt: & tamen ut obſervantiam in Te meam hac etiam occaſione publici juris facerem, malui experimenta iterare, quam Tibi inofficioſus videri. En itaque experimentorum ordinem, atque eventum.

1°. Abſciſſo capite, rana convellebatur tota, & contracta erat in artubus inferioribus, in ſuperioribus rigida, ſic ut niſi cum vi diſtendi non poſſet. In his palpitabant carnes omnes, idque etiam in collo, ac trunco. Inferiores artus contracti diſtractioni cedebant facile; verum ſub ea diſtractione ſubſultus in eorum muſculis apparebant. Remittente diſtenſione ſubſultus remittebant, qui iterum per novam diſtenſionem, aut per levem puncturam renovabantur. Tanta vero diſtenſio erat ac tremor in ſuperioribus artubus, ut puncturæ vix, immo ne vix quidem, contractionem augere viderentur.

Statim

Statim ab abſciſſo capite, nempe poſt tria, aut quatuor ad ſummum minuta ſecunda, ſpecillo tenuiſſimo irritavi medullæ ſpinalis initium, & ſtatim inferiores artus, & corpus totum convellebantur magna cum vi. Ter hoc experimentum feci, eodem ſucceſſu. Sex minutis primis elapſis diſtenſio ac tremor in ſuperioribus artubus elanguere: tunc muſculi, ſeſe contrahendo, applicatis ſtimulis obſecundabant.

Poſt 25. minuta prima obſervavi cor. Pulſabat contractione pleniſſima, ſic ut inter unam alteramque contractionem, regulariſſimo ordine, quatuor in meo carpo arteriæ pulſus reſponderent (*a*). Manente diu hac eadem regularitate, & rana immobili, ſpecillum leniſſime duxi intra thecam vertebrarum. Nondum lineare ſpatium emenſum fuerat, quod rana undique convellebatur, cor vero eandem ſervabat motuum regularitatem. Specillum in loco reliqui, & tremores in artubus & univerſo corpore ſuperfuere.

Levis conſtrictio in inferioribus artubus ſua cute obductis, levis frictio determinata a ſuperioribus ad inferiora, vel econtra, diſtendebat eosdem artus, & in tremores conjiciebat. Diſtentis ità artubus, ſi tunc ſpecillum intra thecam vertebrarum ducebatur, & ſtatim

(*a*) Septuaginta pulſus, regulares omnino, in meo carpo, minuto primo reſpondent.

& ſtatim retraheretur, tetano ac tremoribus violentioribus inferiores artus corripiebantur. Minuto temporis diſparebat tetanus, ac tremor non multo poſt.

Irritationem hanc, quam ita violenter inferiores artus perſentiebant, vix in ſuperioribus ſenſibilis erat.

Quoties eventum ſimilem in eodem experimento deſiderabam, ſpecillum profundius ducendum erat. Verum poſt hoc experimentum neque preſſio, neque frictio in artubus inferioribus tremorem, aut diſtenſionem inducebat.

Crurales nervos poſt elapſam integram horam, irritavi, & en convulſiones in artubus ejus lateris, cui nervorum irritatio reſpondebat.

Nervi iſtiusmodi ſtimulis promtiſſimi in muſcularibus contractionibus excitandis, per ſex horas & amplius proprietatem hanc ſervavere. Si machina electrica in promtu fuiſſet, non deſperabam profecto, poſſe me mortuam irritabilitatem, adeoque muſcularem contractionem reſuſcitare.

2°. Abſciſſo capite alterius ranæ opiſthotono in toto ventre correpta eſt, diſtenſis & trementibus artubus ſuperioribus, præcipue dextero; inferioribus vero magnopere contractis. In hoc ſtatu illico irritavi medullæ ſpinalis initium,

initium, & en ita diſtentos ſimul artuum inferiorum extenſores, ut in lineam rectam jacerent artus ipſi. Hunc ſtatum ſervavere quouſque nova irritatio acceſſit; quo tempore iterum opiſthotonos in ventre acceſſit, & inferiores artus a recta linea deflexerunt.

Conſtrictio & frictio idem phænomenon in inferioribus artubus excitavit. Minuto primo elapſo iterum irritavi medullæ ſpinalis initium. Acceſſit prius ſumma diſtenſio, mox contractio aliqua in crure dextero, fortis in ſiniſtro, quod in eo ſtatu acquievit ad novam uſque irritationem. Siniſter artus contractus ſi diſtendebatur, ſtatim redibat in contractionem; dexter tremebat, ſed diſtenſioni non reſiſtebat.

Preſſio ac frictio in artubus inferioribus phænomenon contractionis & diſtenſionis non ſuſtulit, niſi elapſa dimidia hora, & poſt quartam ſpecilli intruſionem, quæ poſtrema vice totum vertebrarum tractum emetita fuerat.

Hoc tempore præterlapſo obſervavi cor, quod una cum auricula exangue erat, pallidiſſimum & immobile; ſtimulis vero exterioribus obediebat promtiſſime. Cum autem nunquam ſponte ſe moveret, ſpecillum per thecam vertebrarum intruſi, & pluries agitavi. Convulſiones apparuerunt in artubus, in ventre, cor autem immobile fuit.

Crurales

Crurales nervos detexi, qui preſſi, puncturis irritati, vel ita emuncti digito, ut ſurſum & deorſum duceretur, ſemper convulſio vel tremor in artubus inferioribus apparuit. Idem fuit eventus in artubus ſuperioribus, quotiescunque nudato brachiali nervo, eum irritavi.

3°. Ranam alteram obtruncavi in ventre ſtatim ſupra femora. Inferiores artus violentiſſime contremuerunt & diſtenti ſunt. Tanta fuit diſtenſio, ut irritati in eo ſtatu crurales nervi, quid eveniret non ſatis diſtingui poſſet. Tenſio atque tremor 60 arteriæ meæ pulſus perduravit. Poſt hoc tempus irritatis cruralibus nervis convulſiones apparuerunt.

Superior ranæ pars ſemper opiſthotono affecta fuit, & ſi contorquebatur interdum ſic, ut in latus decumbere tentaret, ſtatim in priſtinum ſtatum redibat. Digito leniſſime admoto vel ventri, vel artubus ſuperioribus, ſtatim commovebatur, & artus extendebat, quaſi injurias avertere vellet.

4°. Altera rana ſecta fuit per medium ſtatim infra artus ſuperiores: & en opiſthotonos in ventre, tetanos ac tremor in inferioribus artubus; hæ autem affectiones cum ea violentia non ingruerent, ac in tertia, occaſionem præbuit, ut initium ſpinalis medullæ truncatæ ſpecillo irritarem: quod cum facerem, ſuperiora phænomena violentius infe-

lix animal affecerunt. Inteſtina mirum in modum contorquebantur. Frictio & preſſio in inferioribus artubus eosdem effectus excitavit, quos alibi exaravi.

Elapſis 20 minutis primis iterum ſpecillum in thecam vertebrarum introduxi, & agitavi ad extremum uſque, deinde in loco reliqui. Inferiores artus ita ſunt diſtenti, ut eorum muſculi oſſei omnino viderentur: quin immo tanta fuit contractio, ut, artuum extremitatibus retortis, ellipticum ſpatium inter unum & alterum crus intercederet. In hoc ſtatu ſi irritabas crurales nervos, irritationis effectus non dignoſcebas: tantum elapſis 150. arteriæ pulſibus, relaxatis pauliſper muſculis, unicuique ſtimulo cruralibus nervis admoto, contractio unica, ſeu unicus ſubſultus in muſculis ſuccedebat.

In trunco ſuperiori, qui adhuc opiſthotono correptus erat, poſt horam & amplius medullam ſpinalem ſpecillo deſtruxi: tunc opiſthotonos incrementum ſuſcepit: at minuto primo exacto, repreſſo digito ſpinæ curvatura preſſioni obedivit, neque iterum acceſſit, niſi denuo per ſpecillum medulla irritaretur.

Hunc cum experimentorum eventum habes, facile Tibi erit corollaria nonnulla ex iis inferre, quæ attinent ad imperium nervorum in muſculari voluntaria contractione excitanda, non vero in

in vitali; atque ad alia phænomena plura, quibus enucleandis ſuperſedeo. Neque minus facile mihi videtur petitioni tuæ ſatisfacere: nempe quoties muſculi tetano affecti ſunt, & magnopere convelluntur per capitis aut trunci abſciſſionem, vix, immo ne vix quidem, aut non ſemper, irritationis effectus diſtingui poſſunt. Cum vero convulſio aut vehemens non eſt, aut non afficit omnes muſculos, tunc irritatio etiam illico poſt abſciſſionem capitis vel trunci, ſpinali medullæ vel nervis applicata irritabilitatem excitat, & muſculos convellit. Quid enim contractionis expectandum eſt in muſculis jam violentiſſime contractis.

Hæc habebam, quæ monerem breviſſime, ut mandatis tuis ſatisfacerem. Tuum eſto de hac epiſtola decernere quodcunque lubet. Ede ſi placet; ſin minus oblivioni trade. Tantum exoro, ſi forte prelo committas, ut 30. exemplaria mihi cures pro amicis.

Vale, Vir præſtantiſſime, Teque patriæ, litteris, amicis diligenter ſerva.

Dabam Venetiis die 14. Januarii 1764.

217.

JANUS PLANCUS.

Sero reſpondeo litteris tuis humaniſſimis, & copioſis a. d. III. Kal. Januarias datis, idque accidit, non quod eas ſero acceperim; accepi enim

tempore debito a Morgagno noſtro, ad quem miſeras, ſed quemadmodum ſero accepi Tomum tuum V. Phyſiologiæ, quem Morgagnus quidem miſerat ſtatim pro me Venetias ad Paſchalium librarium meum, qui negligentia & oblivione varia eum non miſit ſtatim ad me, ſed tantum ſuperiori hebdomade, quare modo tantum reſcribere poſſum ad Te, & gratias ago Tibi plurimas, & ſimul gaudeo Te ope Morgagni accepiſſe faſciculum meum, in quo erat & tethyorum quorundam deſcriptio, & alterum opuſculum ad antiquitatem ſpectans. Temporis defectu pervolutare tantum potui Tomum tuum V. de Phyſiologia, quem perſpicio opus eſſe valde laborioſum, & intellectu difficile propter immenſas auctorum citationes, & propter figurarum defectum, quæ in rebus anatomicis videntur pernecesſariæ. Pervolutavi præſertim de auditus organo tractatum, ubi pag. 249. anceps videris circa reperta Cotunnii noſtri, quod, ut heri accepi, diſplicuit Medico cuidam Florentino, qui primum heic dum Neapoli revertebatur, retulit mihi de aquæductibus illis Cotunnii, & cauſæ fuit, ut cum Cotunnio amicitiam inirem, & ab eodem librum ſuum cum præparatione anatomica acceperim, quæ præparatio facta fuit modo Florentiæ ab Abbate Fontana amico tuo, qui reperit duos illos aquæductus, & humorem illum aqueum in veſtibulo cochleam, & canales ſemicirculares irrigantem, quare valde diſplicuit amico illi meo Florentino, Te non faviſſe Cotunnio in re anatomica præclaro Viro. Tu multum faves C. . . ., ſed fortaſſe C. . . . ipſe,

ipſe, ut reliqui Anatomici Bononienſes non adhuc reperire noverunt Cotunnii præclara inventa. Miſerat enim Caldanius ad me, ut miſerat etiam ad Te, figuras ſuas de aure interna, in quibus deſunt aquæductus illi oſſei Cotunniani, fortaſſe quia figuræ illæ, ut vitaret laborem C. . . . , ex fœtu nonimeſtri deſumtæ ſunt omnes, & non ex adultis, quare canales illi perfecti eſſe non poterant in C. . . . . illis figuris. . . . . . cathedra illa Patavina non adhuc potitus eſt, & fortaſſe non potietur unquam.

Audio Te in elapſo hyeme in eo fuiſſe, ut animalia prægnantia diſſecares, expecto quid obſervaveris, & valde aveo audire, quid ſentias de ſtructura illa uteri, quam expoſuit nuper Aſtrucius, & explicet fluorem menſtruum in muliebribus, quæ adhuc a nemine potuit obſervari, & inter ſomnia vulgo boni illius ſenis reponitur. Item aveo audire, an credas cum Buffonio fœtum non ex ſanguine matris nutriri, ſed ex ſucco quodam lacteo, qui ex papillis uteri in placentam exſtillet. Audio item Te circa initia Octobris Bernam rediturum eſſe, quum Præfectura tua defunctus fueris. Ubi vel alia munia expectabis, aut ſequeris fortaſſe Hannoveranorum voluntatem, qui Te tanto ſtipendio Göttingam revocant. Pro Homine litterato, ut Tu es, melius erit ſequi voluntatem illam.

Gaudeo & gratulor Tibi dynaſtiam comparare potuiſſe. In Italia litteræ & litterati Viri ſub preſſura jacent.

Varioloſus morbus, ut optimus ais, nonnunquam nec petechialibus, nec miliaribus febribus cedit; ſed plerumque benignus eſt, & fortaſſe inoculatione non avertitur, quando naturæ malignæ eſt. Æſtate elapſa Florentiæ puella nobilis, filia Comitis Laurentii pro Rege Galliarum Miniſtri in illa urbe, variolas cum impetu paſſa eſt iterum, quæ duobus abhinc annis inoculationem experta fuerat, & variolis ſufficientibus laboraverat. Quare imprudentia quædam eſſe videtur, inoculationem ſuadere. Non mirum igitur, ſi Senacus, & Swietenius inoculationem non improbant, attamen in regiam prolem ſibi commiſſam nunquam tentare ſunt auſi.

Vale, & me, ut ſoles, ama.

Datis Arimino Idib. April. A°. 1764.

218.

CALDANIUS.

Quod per tuam in . . . . amicitiam atque humanitatem expectare nulla ratione poteram, accidit per ſummam ipſius . . . . neſcio an inhumanitatem dicam an potius audaciam. Cum illi de me humaniter interdum ſcribas, & aurium icones meas a Te laudatas fuiſſe inaudivit, cœpit ille litteris ſuis me acriter aggredi, amicis & mihi ipſi audacter narrans, me nihil aliud meditari quam *crambem recoquere*, & mihi tribuere quæ Cotunnii ſunt. Reſpondi me ne id quidem

quidem cogitaſſe; & quod animo volutarem aperte dixi. Fidem tamen non adhibuit; quam tandem ut adhiberet ab illo ſum ſciſcitatus, ut ſineret me easdem icones ad eum mittere, ſperans tunc temporis fidem ſuis ſaltem oculis denegare non poſſe. Sed audi inurbanum hominem. Repoſuit me nihil aliud feciſſe, præter ea quæ Valſalva olim confecerat: icones autem eſſe imperfectiſſimas, tum quod ex fœtu depromptæ fuerint, tum quod microſcopio pro earum diſtinctione lectores indigerent; quibus omnibus millenas addidit injurias. Ratione primum, mox ſermonis acerbitate illum aggreſſus ſum. Siluit: at menſe tranſacto, cum tuum acceperit Phyſiologiæ Tomum quintum, cœpit, litteris ad me datis, in Te non minus quam in me ipſum aſpere admodum invehere: in me, quod inter icones illas Cotunnii aquæductus non viderit; in Te autem, quod eosdem non confirmaveris, & aliis confirmandos relinquas; deinde ad res noſtras injurioſiſſimus deſcendit, apertiſſime ſcribens, me ubique Logicæ ignorantiam ſatis ſuperque demonſtrare. Te autem ſed nefas eſſet inhoneſti hominis convicia & plagia innumera litteris conſignare. Quod in amicum tela ſua injecerit, mihique maledixerit, pacato animo ferre non potui. Litteris ergo bene longis ad ipſum datis ignorantiam, injuſtitiam, impudentiam ſuam ubique patefeci, & quidem ratione uſus non verbis. Nondum reſpondit. Forte ſcriptum aliquod edere meditatur: neque enim iniquum hominem ſilere poſſe ſperandum eſt. Si forte edet, inveniet in me ho-

minem ea ſubtiliori dialectica imbutum, quæ ipſi omnino ignota eſt, & quæ potuit eum cogere ad ſilentium, quando lis inter nos fuit de variolarum inoculatione, quam edito ſcripto ipſe damnaverat. Hæc vero videbimus.

Res meæ bene cedunt. Venetus Senatus primariam mihi cathedram aſſignavit non ſecus ac Lavagnolio; cum hoc tantum diſcrimine, ut ipſe medicinam ſuo more tradat, ego autem Boerhaaviana methodo. Stipendium ad quingentos ducatos aſcendit, quorum unusquisque duobus Hollandiæ florenis æquivalet. Stipendium iſtiusmodi hoc ſeculo ſoli Morgagno tributum eſt. Proh .... miſeriam! Voluerunt autem Reformatores, ut in Senatus decreto Morgagni ſedes ſuo tempore mihi conſtitueretur. Morgagnus autem conditionem hanc adhuc ignorat; adeoque ſuper hanc rem ne quidpiam illi ſcribas rogo.

Vale Vir præſtantiſſime & me ama. Ego enim Te amo unice.

Dabam Venetiis die 19. Maji ann. 1764.

219.

ANTONIUS MATANI.

Accepi, Vir Celeberrime, volumen primum operum minorum, pro quo gratias Tibi maximas ago; in eo enim cuncta reperio tuo nomine digna. Miſi ad Te elapſo anno ope D. Abbatis Fontana

Fontana communis amici noſtri Tractatum meum de productionibus naturalibus Tractus Piſtorienſis, quem neſcio an receperis. Nunc occaſionem expecto mittendi diſſertationem meam de philoſophicis Piſtorienſium ſtudiis jam editam, & diſſertationem de irritabilitate, & ſenſibilitate partium humani corporis, quam in Academia Piſana ad mentem tuam me Præſide publice deferendam ſuſcepit Lucas Sichi diſcipulus meus, qui eam aliquibus propriis illuſtravit experimentis. Anatomicas quasdam vidi præparationes nuper peractas ab amico Fontana circa aurem, quas doctus jam peregerat Cotunnius, quasque video a Te probatas eſſe, atque etiam ſcio probari a D. Caldanio, Tabarranio, aliisque Anatomicis. Obiit Piſtorii menſe Octobris elapſi anni municeps meus Cardinalis Joannes Franciſcus Banchierius, qui diuturno vomitu laboraverat, apertoque cadavere inſolita, eaque præternaturalis dextri renis inventa eſt magnitudo; lapideis enim concretionibus, & abſceſſibus repletum erat renis corpus, & ita verſus ſtomachum attollebatur, ut inducta preſſione vomitum excitaret. Elapſis diebus Piſis obiit D. Comes Franciſcus Algarottus, cujus opera omnia ad prelum parantur ſimul collecta.

Vale, Vir celeberrime, & me ut ſoles ama.

Dabas Piſis 5. Junii 1764.

220.

CALDANIUS.

Matanus in Piſana Univerſitate Profeſſor vir ſatis clarus, rogavit ut hanc epiſtolam Tibi curarem. Hoc dum facio eadem occaſione ex Te quæro Vir Præſtantiſſime, num adhuc ad Te pervenerit faſciculus alter librorum, quem Tibi curavi per Somiſium, & nondum acceperis epiſtolam illam Tibi inſcriptam, quæ verſabatur circa experimenta in ranis capta, & evertentia, niſi ego plurimum fallor, opinionem Whyttii.

Tandem auguſtiſſimus Senatus Venetus in Patavinam ſedem me collocavit, quam primum conſcendam ſub initium Novembris.

Hoc autem, nunc recordor, ad Te alias ſcripſi.

Totus nunc verſor in phyſiologicis operibus tuis perlegendis, ut uberem habeam ſuppellectilem pro Patavina cathedra cum dignitate ſuſtinenda.

Vale, Vir præſtantiſſime, meque ſincere amare pergas, rogo.

Dabam Venetiis die 23. Junii 1764.

221.

221.

LUDWIG.

Jam nuperis nundinis paſchalibus, & ab eo tempore ſemper neglexeram, Vir Generoſiſſime, officium Tibi præſtandum, in transmittendis quibusdam ſcriptis, quæ hactenus prodierunt. Inſtitutiones Chirurgiæ tandem ad finem perduxi, quæ benevolum tuum judicium expoſcunt; nunc in Inſtitutionibus Medicinæ forenſis elaborandis occupatus, quo labore duodecim circiter plagularum abſoluto, chirurgiam meam quod multi deſiderant, patrio ſermone conſcribam.

Nunc ſæpius de iis rebus cogito, quæ belli turbis ſimul turbatæ fuerunt; avertat Deus novas belli cauſas & tumultus, ne ſcientiæ ulterius inde detrimentum capiant.

Scio porro, hexapetalas Rivini tabulas, quæ ad numerum circiter vigeſimum accedunt, Tibi deficere, curabo proxime ut habeas icones, quas cum tuis obſervationibus de Orchidibus olim contuliſti. Ego quidem ſuaſeram Gehlero noſtro Botanico, ut Rivini tabulas, ad ſcientiæ modernæ præſtantiam denuo reviſas, ederet, ſed ſumtus nimii ſunt, & labor haud vulgaris, hinc illum non ſucceſſurum eſſe prævideo.

Lætor interim, Te finem laboris, quem in Elementis Phyſiologiæ edendis impendiſti, videre, multa in unum opus collata videmus, quæ diligens

diligens obſervatio, & lectura librorum præſtantiſſimorum Te docuit. Servet Te Deus, ut quæ de plantis Helvetiæ agnoviſti, in unum quoque opus cogere poſſis.

Vale & me, ut ſoles, ama.

Dabam Lipſiæ die 7. Auguſti 1764.

222.

JANUS PLANCUS.

Non contendendi animo, Hallere doctiſſime, aliqua dixi, & dicam pro Cotunnio, ſed tantum veritatis amore & amicitiæ ſtudio ductus. Laudaſſe dicis in libro tuo Cotunnium, quia laudes meretur; at ſi nihil de novis ſuis aquæductibus affirmas, *quod certas ob rationes fidem iis non adhibeas*, & quod latex nullus in iis contineri queat. Si hæc omnia ex animi ſententia dicis, vides laudes tuas nullas eſſe vel admodum precarias, quia quod præcipuum eſt in Cotunnii libro, omnino negas; præſtaret pro Cotunnio; ut prorſus eum ſiluiſſes, quam ita laudaſſes unquam. At Cotunnii aquæductus revera exſtant, & apud me præparati proſtant, ut eos in Tabula I. Fig. 2. & 3. pingit Cotunnius ipſe. De latice illo in iis contento ego nihil affirmo, quia tantum exſiccati apud me proſtant aquæductus una cum labyrintho, ſed eum conſtanter affirmat, & omnibus oſtendit Florentiæ Abbas ille Fontana Roboretanus amicus, & fautor tuus. Quomodo hæc conciliari poſſint cum

cum eo, quod edidiſti in libro tuo, & modo ad me ſcribis, Tu videris Hallere ſapientiſſime, & ad me ſcribas, aveo. [De venis dubitavi, humorem aquæductuum reducentibus & conſpicuis].

Innumeros convaleſcere ex inoculatione variolarum, præſertim ſelectos nullus dubito, quemadmodum innumeri ſanantur ex variolis naturalibus, licet non ſelecti. At quod dixi, & conſtanter dico, eſt, prudentis Medici non eſſe inoculationem alicui ſingillatim ſuadere, quia ex inoculatis aliqui interdum intereunt, vel graviter ægrotant, & aliquibus interdum naturaliter redeunt. Generatim tamen ſuaderi poteſt inoculatio, nam multa conveniunt in genere, quæ in individuo non conveniunt; ideo laudo van Swietenium, & Senacum, qui in regia prole ſibi commiſſam nunquam inoculationem tentarunt, licet in genere, ut audio, eam probent.

Scripſit C. modo ad me, ſe Patavium ſeceſſiſſe, ut convenientem domum ibi ſibi compararet, idque, ut auguror, quia cathedram illam tandem ſit conſequutus. Ignota mihi lis eſt illa, quam Tibi movit Albinus de fibris carneis valvularum coli, quam excuties in Tomo VII.

Vale, Hallere ſapientiſſime, & me, ut ſoles, favere perge. Non adjungo titulos Tibi debitos, quia legere neſcio nomina illa propria. Per amanuenſem conſpicuis fac ut legam litteris, & non fugacibus, & eos inſequentibus litteris addam.

Datis Arimino a. d. VIII. Kal. Septemb. anno CIↃ IↃCC LXIV.

223.

223.

ACHILLES MIEG.

Cum hoc anno ob multitudinem ægrotorum, quorum curæ (munere omni, etiam Profeſſorio, ex animo deleto) me tandem addixi totum, alia quævis negotia coactus eſſem ſeponere, nunc tandem, dum chartas meas perquiro, epiſtolam a Viro Illuſtri jam d. 16. Januarii ad me ſcriptam reperio, ad quam non memini me reſpondiſſe.

In ea deſideras, ut, quæ pecularia in meis inoculationibus accidiſſent, referam; ſed parum exacta nimiumque brevis narratio deſiderio tuo non ſatisfaceret, nec anguſtum tempus nunc permittit, ut denuo diaria mea evolvam. Prolixam autem de ea re epiſtolam ſub finem prægreſſi anni ad Tigurinum Medicum, Dn. Dr. Schintzium, perſcripſi, quam ille coram Societate legit, & ab iſta in tertio volumine monumentorum (Abhandlung von der naturforſchenden Geſellſchaft) ſub finem hujus anni impreſſum iri ſcripſit. Ex ea itaque perſpicere poteris, quæ hactenus peregi. Pauca vero ſunt, cum nonniſi 19. infantes hactenus inoculaverim, omnes quidem feliciter, ut omnino meliorem ejus methodi progreſſum ſperare licuiſſet, niſi in me ſolum illius propagatio & defenſio contra omnes reliquos Medicos noſtros devoluta eſſet. Spero tamen, aliquam impreſſionem in cives noſtros dictam epiſtolam tandem facturam tum enarrationem inoculationum, quæ Vitoduri & Tiguri

guri priori & hoc anno ſat multæ factæ fuerunt, in eodem volumine, ut dicunt, publicandam.

Pleuro peripneumonia bilioſa etiam apud nos ab initio hujus anni uſque ad finem veris copioſe graſſata eſt, multis ab initio funeſta, donec tandem vera morbi indoles detecta, & cura ad primas imprimis vias leni modo expurgandas directa fuiſſet.

Mixtæ erant, & copioſiores adhuc ſuccedebant, variolæ, indolis plerumque valde benigne, ut hactenus de 16. mortuis tantum audiverim. Etiam in iſtis corrupta primarum viarum ſub cura ſæpe morbum perturbavit, quam ſecure clyſmatibus, & ſubinde purgante mannato circa maturitatis & exſiccationis tempus dato, eliminavi. In permultis purgans, mox ante prævifum morbum exhibitum, iſtum valde benignum effecit.

Cum voluptate in epiſtola tua lego, phyſiologicum opus jam ad finem perductum eſſe, quod tam cito non ſperaſſem, cum Bibliopolæ noſtri quintum volumen ante paucos demum menſes vendere cœpiſſent, & tria ad minimum vel quatuor volumina ſupereſſe videantur. Velit Deus T. O. M. ad opus botanicum etiam perficiendum ſanitatem & otium largiri, ad addiſcenda medicamina noſtra helvetica adeo proficuum.

Vale, Vir Perilluſtris, diuque adhuc felix vive.

Dabam Baſileæ d. 11. Sept. 1764.

224.

D. LUDWIG.

Nundinis jam præterlapſis ultimam quæ mihi offertur arripio occaſionem, Vir Generoſiſſime! quæ commentariorum noſtrorum Part. IV. Vol. XI. Tibi tradam. In magno librorum número plura hac æſtate tradere non potui, multis negotiis & demum morbo gravi filii mei impeditus. Spero vero hac hyeme plura præſtari poſſe, cum laborum ſocii melius ſuſtineant meos conatus. Quas in ultimis meis litteris promiſeram hexapetalas Rivini, nunc Tibi mitto. Novam & ampliorem editionem Tabularum Rivini meditabantur nonnulli ex meis amicis, ſed ſumptus & labor nimius illis videtur, inprimis cúm ego nimiis negotiis detentus manum operi non admovere poſſim ipſe. Mererentur tamen nitidæ hæ tabulæ, ut ampliori commentario illuſtrarentur, inprimis cum rei herbariæ facies multum mutata ſit, ab ea quæ Rivini tempore erat.

De tuo in Germaniam reditu multi ex noſtris loquuntur, eundem opto ſed nondum ſpero: ô quanto gaudio afficerer, ſi Lipſiam ſalutares, ſi Tecum colloquendi mihi daretur occaſio. Viderunt Te multi ex noſtris, ſed ego Te nondum vidi, Te quem adeo benevolum ſemper deprehendi.

Ad finem jam perductos eſſe labores, quos in edendis Phyſiologiæ Elementis impendiſti, maxime lætor. Omnem enim ambitum hujus deſcriptione

tione repetere potero tunc, quando novam editionem meæ Phyſiologiæ dabo, quod vero nec hoc nec proximo anno fieri poterit, licet Bibliopola urgeat. Medicina enim forenſis & methodus doctrinæ medicæ univerſæ antea a me exponendæ ſunt, quod tarde progreditur, cum paucæ tantum horæ ex meis otio litterario deſtinatæ ſint, plures inter inſignes tumultuariæ vitæ ſtrepitus transeunt. Nocturna ſtudia, quæ magis tranquilla ſunt, a me ſuſcipi non poſſunt, cum oculi hebetes perſpicillo dirigantur. Sic cito ſeneſcimus, & vires nimis intenſæ languent. Cl. Sauvagei Noſologia methodica ampliſſimum & in ſuo genere elegantiſſimum eſt opus, non tamen tradi poterit junioribus Medicis, qui nimia rerum copia diſtrahuntur. Joh. Gorteri Praxis ad ſymptomata ducit, multo magis hic labor. (ſic).

Meditor diſſertationem de vera morbi idea, ſed dum ſcribo confundor, omnes enim hac in re conciliare nequeo, nec diſſenſus rationes ample adducere poſſum.

Ne vero Tibi amplius moleſtus ſim finem faciam. Vale & me ut ſoles ama.

Dabam Lipſiæ d. 22. Octobr. 1764.

225.

C. F. WOLF.

Noli in malam partem interpretari, Vir Illuſtris, ſi gravioribus negotiis aut aliis forte naturæ altioribus ſcrutiniis occupatum. Te iterum interpellare audeo. Nova in ovis incubatis experimenta inſtitui, ut firmiorem generationis theoriam redderem; & præſertim ad ea animum adverti, quæ Tibi maxime dubia videbantur. Præcipuus horum laborum effectus eſſe, quem Tibi mitto libellus declarabit. Prior ejus pars ea continet, quæ ſeveriori ratiocinio ex obſervatis antea jam notis, tum etiam ex rei natura ipſa erui poſſe mihi videntur; poſterior breviorem theoriam, hinc inde caſtigatam, ſiſtit; in appendice vero ea ex repetitis experimentis propoſui, quæ maxime ad ſcopum facere mihi viſa ſunt. Adjunxi his horum obſervatorum aliqualem, veram ſaltim, licet minus ornatam delineationem, ut de illis Tu ipſe, Vir Perilluſtris, judicare poſſis. Fig. I. exprimit aream illam leviſſimam celluloſam, ſpinæ dorſali circumfuſam, in qua paulo poſt tubercula illa, pedum & alarum primordia, ex novo intra eam depoſito ſucco oriuntur, & quæ ipſa vero abdominis & thoracis primum initium eſt. Figura 2. eandem, ſed multo nunc perfectiorem, magis ſuo margine determinatam, minus diffuſam, magis porro in ſua ſubſtantia firmatam & ſolidam ſiſtit, qua in re ſenties facile, Vir Perilluſtris, modum ortus, ex ſucceſſiva ſucci

ſucci excretione, qui ſubtilior prius magis *diffuſus* apparebat, nunc ubi ſolidior factus, contractus eſſe videtur. In hac vero ſolidiori area tubercula illa nunc jam inſunt, quæ extremitatum prima initia referunt. Video ſimul Vir Perilluſtris, quouſque cor a vero thoracis primordio utrinque tegatur; anterior & maxima ejus pars libera prominet, obducta tota amnii membrana, quæ retro flexa, & in embryonis cutem continuata, cor utique tegebat. De his omnibus in appendice dixi p. 257 59. Fig. 3. illa area umbilicalis eſt, cum primis vaſor initiis, quam pag. 260. 261. deſcripſi. Certe hæc loca, vix paulum obſcuriora quam area ipſa eſt, & fluido pallide fuſco repleta, nihil aliud ſunt, quam iſtud fluidum ipſum ſub membrana vitelli hærens, ex materia alba, aream conſtituente, variiſque in locis colliqueſcente, præcipitatum, ſtagnans, unde area colorem album, opacitatem & habitum quaſi ſiccum acquirit, quæ quidem areæ colliqueſcentia & diſſolutio ſi pergit, fluidum undique confluit, & loca, ubi hactenus ſtagnaverat, vaſa evadunt, vel potius rivi, quales apparent in fig. 4. In ea ad interiora areæ loca crenulæ, rupturæ, variis figuris apparent, ubi nempe fluidum nondum ubique confluxit, ad exteriora vero loca adeo fluidum hoc aream jam perrupit, ut hæc plane in inſulas majores, minores, plerumque ovales, inde dividatur. Vetat integritas areæ in intimis proxime ad amnium locis, quæ neque acu ſine evidenti violenta dilaceratione dividi poteſt, quo minus illas crenas pro vaſis perfectis habere poſſis Vir Perilluſtris,

O 2

ſtris, vi cordis & ſanguine ab embryone propulſo ſolummodo dilatatis.


De his itaque & de reliquis, quæ paſſim notabiliora Tibi videntur in libello contentis, ſi placuerit Vir Perilluſtris, iterum tuam ſententiam declarare, certe nihil eo mihi gratius accidere poterit; quæ approbabis de eorum veritate eo magis ego perſuaſus ero; quippe ampliſſima tua experimenta ſolidumque judicium argumentorum graviſſimorum vicem apud me præſtant; quæ dubia videbuntur, ea certe ulteriori indagine opus habebunt, ideoque novis experimentis novisque ſpeculationibus anſam præbebunt, proinde nonniſi utiliſſima mihi ſemper quævis tua monita eſſe poterunt.

Celeberrimum . . . . quod attinet, fateor, paulo durius forte contra eum me ſcripſiſſe; verum enim re ſerio penſitata nec valde peccaſſe mihi videor; certe non ſunt contradictiones, quæ me afficiunt. Si enim, at ſincere, aperte contradixiſſet, aut quovis modo, etiam vehementer, etiam acriter me impugnaſſet; grato potius animo accepiſſem hæc omnia, bene conſcius, omnem in diſputando expreſſionum vehementiam vix evitari poſſe. Sed inſidias ſtruxit . . . . , malæque mentis indicia edidit, quam rem prolixius explicare haud opus eſſe cenſeo.

Cæterum ita Numen divinum apprecor, Vir Perilluſtris, omnes vitæ dies ut lætæ Tibi ſint impoſterum, nulliſque curis aut adverſariorum invidiis turbatæ; quo poſſis etiam cum tua ipſius


voluptate


Fig. I.



Embryo 48 horis incubatus. Area circa ſpinam dorſalem diffuſa, tenerrima ſucceſsive evaneſcens. Cor contento ſucco ſubfuſcum lente micabat.

Fig. 2.






Embryo 3 dies incubatus, amnio excutus. A. Area celluloſa ſolidior facta. B. Tubercula in ea ſuborta extremitatum prima ſtamina.

a. anterior auricula? b. canalis auricularis? c. d. ventriculus? e. le detroit? f. Bulbus aortæ? g. Roſtrum ejusdem.


Fig. 3.



Amnium cum Embryone. Circa illud alba lata area umbilicalis cum maculis pallidis inconexis irregularis figuræ, quæ prima ſtamina vaſorum umbilicalium ſunt.

Fig. 4.

Ovum 29 horas Incubatum in ipſo vitello viſum.





a. a. Area umbilicalis. b. Circulus eam terminans, fluido fuſco ſemiſanguineo repletus. c. Inſulæ, in quas erumpente fluido area diviſa. d. Prima erumpentis præcipitati fluidi tentamina.

e. Peculiare Embryonum genus, a primo jam initio lateri incumbens, valdeque opacum. f. Amnium. g. Maculæ ſanguineæ. h. Cor ſubfuſco liquore repletum inſenſibilia fere conanima exſerens.

I. R. Holzhalb ſculps. Zürich. 1775.

voluptate magnum tuum, quod avide eruditus orbis exſpectat, opus feliciter abſolvere. Ego certe me huic operi & reliquis tuis ſcriptis pleraque mea debere, gratiſſima mente perpetuo lætabor. Vale.

Berolini d. 20. Dec. 1764.

226.

CALDANIUS.

Mitto ad amicum Somiſium hoc ipſo die non omnes libros, quos poſtulaveras; & nihilominus plures quam deſiderabas. *Michieli* de febre nondum ex Verona accerſivit: *Fracaſſini* opuſculum pathologicum adhuc ſub prelo eſt. *Beneſcia* ne verbum ſcripſit, ut ſic dicam, præter ea, quæ continentur in diario Veneto. Hominem difficile eſt invenire, cui magis, ut *Beneſcia*, vacuum arrideant, & plus placeant verba quam res. Morgagnus, qui Tibi meo nomine ſalutem plurimam dicit, addidit faſciculum, qui continet opuſculum de *Uva Urſina*: oratiunculam *Pimbiolii* Profeſſoris Patavini, ſed ex eorum cœtu, qui *Civitatis* dicuntur; & nuperum opus *Roncalii*, qui tertio ac quarto pharmaceuticis remediis maledixit. Reliqua ea ſunt magnam partem, quæ de me petieras.

Morgagni anatomicas lectiones fere omnes audivi. Si eum pariter maledicus Plancus audiiſſet,

quæ ira, quæ bilis, quæ probra! omnia quæ Cotunnius protulit, diſerte negavit. Negavit præſentiam ſepti in veſtibulo; aquæ præſentiam intra labyrinthum; negavit aquæductus: uno verbo omnia. Quoties de ſenſitivitate, ſeu, ut melius dicam, de tendinibus membranisve hæc quæſtio fuit; ridendo clamabat: *loquor de hominibus, non de brutis.* Ego autem munere meo defungens in quotidianis meis prælectionibus, cum de corde & de reſpiratione verba facerem, magnæ auditorum meorum frequentiæ, varia indicari experimenta a Morgagno ipſo inſtituta circa nervos cordis in brutis; & alia etiam pericula in aliis animalibus capta in alium finem: clamans & ipſe: *En quomodo Vir ſummus ab iis uſque temporibus analogiæ argumentum inter hominem & bruta, plurimi faciendum eſſe cognoverit.* Intellexerunt auditores, cur hæc dicerem, & lætum murmur ad aures meas pervenit, quo melius potui ab adverſariis ea ſciſcitari, quæ extant ad calcem ſecundæ epiſtolæ meæ: nempe & diverſam ſtructuram, & diverſam actionem in brutorum partibus, de quibus quæſtio eſt, demonſtrandam eſſe, ut locum non habeat argumentum analogiæ. Iterum dico, Vir præſtantiſſime, & lætus dico, quin Dominus Deus lectionibus meis benedixit (ſiquidem nemo eſt inter Patavinos Profeſſores, qui & copia & qualitate auditorum mihi præſtet) reſonant immortali tuo nomine Patavini parietes, & reſonant læti, garriant quicquid velint iniqui homines. Venetus Senatus labores meos acceptos habet, & binis Collegiis me adſcriptum voluit poſtremis hiſce diebus,

diebus, quo annuum ſtipendium crevit fere uſque ad 200. ducatos argenteos.

Peto nunc a Te, Vir præſtantiſſime, ut moneas, quis inter pathologicos auctores, qui plenam dederit Pathologiam, ſit cæteris anteferendus. Audio Haenium in nona parte rat. med. & Tiſſotum, & Te, tuosque ſectatores . . . . urſiſſe: nondum opus ad me pervenit. Hæc habui tantum ex Morgagno, cui Haenius librum miſit. Morgagno reſpondi: *crambem retorquet forte, & ſi hoc eſt, ut opinor, altum apud nos ſilentium erit.*

Vale, Vir Celeberrime, & ſcias neminem eſſe in Italia, qui Te plus diligat.

Dabam Patav. d. 22. Martii 1765.

227.

A. CAPDEVILA.

Per mihi jucundæ fuere Cl. V. tuæ litteræ nuper XVI. Kal. Martias, ad me datæ X. Kal. Januarias ob inſigne humanitatis tuæ, officiique erga nos teſtimonium, A. F. Graſſeto, Lauſannæ Bibliopolæ, familiariſſimo noſtro: Diſp. morborum Vol. VII. & VIII. Elementorum tuæ Phyſiologiæ Vol. IIII. Operum minorum partem I. & II. Memoires ſur les Poulets II. Vol. 8°. & deux Memoires ſur la formation des os I. Vol. 8°. accepimus, quas poſſimus grates habemus maximas, in tuæ Phyſiologiæ, reliquosque tuos labores diu,

noctεque incumbimus, in ſubſtantiam & ſanguinem vertimus, nunquam nos pœnitebit laboris.

Cl. Joſephus Quer, conterraneus noſter, hiſpanæ hiſtoriæ naturalis litterariæ ignarus, Floræ hiſpanæ I. & II. vol. habes, III. an. cIↄIↄCCLXIII. vidimus, quamplurima ex Cl. Stephano Franciſco Geoffroy tranſcripſit, anno ſuperiori diem vidit ſupremum. Reliqua volumina confecta, Regis Catholici decreto edenda avidiſſime expectamus, Tibique curavimus.

A. Piquer, Archiater Hiſpanus, vir præditus memoria, judicii paullulum, contemnit, quæ non intelligit, matheſeos, phyſices & anatomes ignarus, omnia ejus opera potius ad lucrum, quam ad Reipublicæ litterariæ utilitatem edita, binas Med. inſtitutiones legimus, ac relegimus, opus & oleum perdidimus. En moderatum judicium noſtrum; harum dogmata argumentis nituntur metaphyſicis, ac univerſalibus ratiociniis: modo Valentinos vituperat anteceſſores, modo laudibus afficit maximis, Gaſparum Bravum Ramirezium de Sobremonte, Matthiam Garciam, Jacobum Segarram, alioſque Hiſpanos, qui de Med. inſtitutionibus ſcripſere, laudibus ornat ſupra modum, Cl. Virorum obſervationibus ac experimentis adverſatur, haud obſervationibus experimentiſque, ſed ratiociniis inanibus, auctorum lectione haud utitur, ſed abutitur, ortographia vulgaris, oratio aſiatica, ſcholaſtica, & barbara: ejus inſtitutum eſt Hiſpanos Medicinæ ſtudioſos a Cl. Virorum lectione retrahere, quare hæ inſtitutiones ad Medicinam diſcendam inutiles & noxiæ, ac Archiatris Hiſpanis dedecus maximum.

Nos

Nos vero Tovarræ Provinciæ Karthaginenſis Archiatri fungimur munere, Sevirorum decreto, a Col. Vict. Jul. Nov. Karth. LXX. abhinc lapidibus Septentrionem verſus, via, qua ad Madridium ducimur, hujus oppidum fundis quotannis, veſtræ Reipublicæ *Rixdaler* CCCCLX. percipimus, Philoſophorum vitam agimus chriſtianam, una cum lectiſſima uxore, ab Valentinorum ſtrepitu abſumus, qui maximam in Viros eruditos exercent tyrannidem, fictisque cauſis innocentes opprimunt.

Mille Cl. Scriptorum indicem noſtro Graſſeto miſimus ad Bibliothecam parandam univerſam, quam Barbari vocant Portatilem, una cum ſex noſtrarum theſium exemplaribus d. XV. Junias CIↃIↃCCLXIII. Edetanorum Valentiæ, pro publici Profeſſoris munere obtinendo propugnatarum, ex tuis primis lineis Phyſiologiæ tranſcriptarum Tibi curandis.

Diſſertationem ad Societatem Regiam Scient. Georg. Aug. de aquis mineralibus Marmolejo, cum noſtratum hoc de argumento Scriptorum critica hiſtoria, & ulterioris Hiſpaniæ morbi endemici deſcriptione, Calend. Juniis mittemus. Cl. Carolus Chriſtoph Plüer, amicus in æternum colendus, qui apud Oratorem Danum Madridii a Sacris eſt, commentarios noſtros, quos ad Academiæ Valentinæ leges mittimus, Germanos fecit, ſuo, aut alio nomine apud veſtrates edendos, hoc in opere videbis Cl. V. noſtram juvenum educatio-

O 5 nem,

nem, & Hiſpanorum impedimenta ad Reipubl. utilem eruditionem adquirendam. Nam in animo molimur conſpectum hiſtoriæ N. Math. Philoſoph. & Med. Chronologicum, continuo eorum criticam ſequitur hiſtoriam.

Cum aliquid otii nactus per Madridium, Tovarram reſcribe, citius tuæ litteræ ad me pervenient.

Vale Ill. V. Helvetiorum decus immortale ſeu maximum, valetudinem tuam cura diligenter, uxorem tuam, Gorterum, filios filiasque, & Tiſſotum, Cl. Virum plurimum meo nomine ſaluta. Tui amantem redama.

Tovarræ provinciæ Spartariæ VII. Kalend. Aprileas clↃ IↃCC LXV.

228.

RAIMUNDUS COCCHIUS.

Ad Te confugio; ſtudiorum meorum Ducem, in rebus obſcuris conſulturus. Novus homo equidem nec Tibi notus nollem impudens videri, qui Te litteris auſim compellare. Sed cum clariſſimos doctiſſimosque mortalium humaniſſimosque eſſe ſciam, Teque præcipue, quem veri amor tot adire labores juſſerit, nunquam perituros, ſpes eſt veniæ, à Te ſummo Viro, quam des bonus oro.

Cum apertum forte cadaver feminæ inſpicerem, neſcio quid per otium quærens inteſtina genuina

nuia ſeſe obtulerunt maculis *a*, *a*, *a*, *a*, *a*, aſperſa paſſim innumerabilibus, cæterum ſana ſubrubentia venulisque picta ſanguineis, ut vidua eſt *c*, *c*, *c*, *c*, *c*, Arteriolas neſcio quis diſcipulor. meor. impleverat atramento *d*, *d*, *d*,*d*,*d*, &c. neque chyli per lactea vaſa ſupererat ullibi veſtigium, certe, ut vidi; caute ſecando, utres lacte vel chylo plenos eſſe inveni in cellulari ſitos, quæ eſt inter fibram muſc. & villoſam laxa ſemper (namque nil aliud ibi certe eſt, neque ad diſſolvendas cellulas flatu opus eſt) fibris muſcularibus tamen ab interiori parte proximos, magisque a villoſa diſtinctas, neque inteſtina ab int. ſuperficie inſpiciendo, maculæ apparebant, ut certe vidi ita conſpicuæ. Hos utres cum ſolutos cellularib. vinculis eruiſſem, clauſos undique incredibile dictu, neque ulla vi lac effundentes, *b*, *b*, certo vidi membrana tenuiſſima factos, firma tamen, plerumque ovatos vel globoſos. Chylus dulcis de more, & recens, & vere chylus erat. Hos cum varices lacteorum vaſorum eſſe crediderim, clauſis tantum a morte exitus viis, ne quicquam preſſione blanda chylum expellere tentavi, donec disruptos potius vidi, quam apertos. Tandem aliquot exemptos a corpore in aqua detinui per viginti dies; fundum dum vaſis petunt, aqua graviores. Nec aqua (diſſolvens, mihi, validiſſimum) aperire potuit, certe, nam quotidie inviſi, tandem ut ſervarem in ſpiritu vini detraxi, & ſervo mutatos tamen a ſpiritu, nempe multo minores & flavos nunc, non amplius lacteos.

Vides

Vides nunc Clme. Vir, quæ dubia ſuboriantur, nodum extricare ego non valeo. Interim cum libris prorſus caream, & cadavera tantum ſint quotquot velis quotidie, per menſem diſſecui hucuſque quadraginta, & pueros quatuor. Nec vidi amplius maculas, neque lacteas venas implendo, quid ſimile inveni, etſi quinquies tentaverim; morbum tamen non credo.

Vale ſumme Vir, Germaniæ tuæ decus, & ſi hæc Tibi mitto quis alius jam docuit, aut vana ſunt ignorantiæ meæ teſtimonia, moneas humaniſſime precor, & monſtres erranti comiter viam.

Sunt alia de peritoneo, quæ hodie vidi, ſed nec humaniter Te abutar, ungui finem impono.

229.

C. E. WOLF.

Quamquam ſemper vereor, Vir Perilluſtris, ne interpellando Te, graviſſimis negotiis occupatum, denique moleſtus fiam atque odioſus; tamen ea ultimæ tuæ epiſtolæ, qua me ornatum voluiſti, conditio eſt, ut, niſi ad eam reſpondeam, tum demum aut impudentiæ aut ſummæ certe negligentiæ, merito accuſari queam; quare ut excuſationes meas hac quidem occaſione audias, Vir Perilluſtris, recte a Te petere poſſe, mihi videor.

Prius



Meſenterii pars.

Prius itaque momentum quod attinet, de inconſiderata recenſionis citatione, fateor, me errorem commiſiſſe, cujus, quantum me pigeat, non ſatis dicere poſſum. Omnium harum rerum, quas merito Vir Perilluſtris monuiſti, neſcio quo infelici ſidere, plane immemor fui, neque, ſi quidquam eorum in mentem mihi veniſſet, adeo imprudenter egiſſem. Certum vero eſt, impoſterum cavere, ne in ſimilem aliquem errorem incidam.

Celeberrimum vero . . . . , quod alterum momentum eſt, ſi inſcium & innocentem læſiſſem, id equidem me valde puderet, ut ipſe mihi nunquam ignoſcerem tantum peccatum. Verum enim, qui fieri poteſt, Vir Perilluſtris, ut quis theſin aliquam defendere, & contrariam ex profeſſo refutare ſtudeat, deque hac re (ut præfatio libri Celeb. Viri docet) diu deliberet, attamen alterum ſcriptum, in quo contraria theſis præcipue propugnatur, quodque nuperrime editum ſit, & in quo ergo nova argumenta proferri ſubſumuntur, quod denique omnino ex recenſione ſaltim notum ipſi fuiſſe oportet, ut, inquam, hoc non legerit, aut legi ſibi curaverit, antequam ſuum edat? Quilibet certa tali occaſione vel minimi pretii etiam libros, qui idem argumentum tractant, legere ſolet; ut ſaltem contentorum notitiam aliquam habeat. His aliiſque rationibus inductus credebam, reſpondendum mihi eſſe refutatori meo, qui refutatione quidem, at non citatione me dignum putaverit. Interim quidquid horum ſit, vellem non factum. Melius eſſe ferre,

re, quam facere, injuriam, & nunc video, & dudum ſcio; ſed difficile eſt, in diſputationibus omnem expreſſionum acerbitatem evitare; rei enim dum ſtudeo explanandæ, verba ſæpe negligo & quæ etiam verba mihi, dum ſcribo, ſatis innocentia eſſe videntur, ea ſæpe lectori, & merito ſæpe, dura apparent. Hæc eſt, quam pro factis hactenus, & quæ infecta fieri nequeunt, rationem reddere poſſum. Quæ de his rebus impoſterum facienda mihi, ea a tua Vir Perilluſtris, & Celeberrimi . . . . voluntate pendebunt.

Vaſorum in area umbilicali prima tanto minus proxime poſt primum incubationis diem dieque toto ſecundo, vidi præcipue, quando nudis oculis inſpecta area plane integre adhuc & æqualis, & vaſa nullo colore, ne fuſco quidem, apparent; tunc adhibito microſcopio maculas paulo obſcuriores, quam reliqua area eſt, easque irregulares figura & magnitudine & inconnexas deprehendi, quas vaſorum primas delineationes eſſe ſequentes obſervationes docebant. Ubi vero oculis rubra aut fuſca etiam puncta & lineæ circa diem tertium & poſtea apparere incipiunt, tum microſcopium facile connexas & ramoſas vias exponit, quæ majorem cum vaſis ſimilitudinem jam habent.

Spiritus vini quoque ita utrasque membranæ umbilicalis laminas conſtringit, ut loca, quæ ſolutum fluidum continent, & vaſorum primordia ſunt, in ſuperficie inferiori promineant, qua ratione

tione repleta vaſa turgere & extra parenchyma prominere ſolent; inde perfectior paulo, quam vere eſt, areæ habitus efficitur. Poſt primum enim diem, ubi maculæ nondum connexæ ſunt, rugæ hac ratione variæ & plerumque parallelæ in ſuperficie inferiori formantur, quæ ante non aderant; ſequentibus vero diebus quæ prius viæ ramificatæ erant, nunc effectu conſtringentis ſpiritus turgentia ramificata vaſa apparent. Sed hæc turgentia vaſa nihil aliud, etiam eo tempore, mihi eſſe videntur, quam lamina areæ inferior his locis a fluido diſtenta & magis elevata, cum cætera loca, ubi materia alba inter utrasque laminas hæret, interſtitia viarum efficiens, conſtricta, ideoque magis depreſſa ſint.

Latinam & auctam editionem excellentiſſimi tui operis de formatione pulli & oſſium magno deſiderio exſpecto, ut omnes ii, qui naturæ ſtudioſi ſunt. Præcipue vero feſtus mihi dies erit, quo in optatiſſimo dudum Elementorum Phyſiologiæ Tomo VIII. univerſam generationis hiſtoriam, quæ adeo mihi cordi eſt, legere atque intelligere incipiam.

Vale, Vir Illuſtris, atque, ſi quid eſt, quod unice a Te petam, nunquam me tuo, quo hactenus me dignatus es, favore deſtituas.

Berolini d. 5. Maji 1765.

230.

205.

JANUS PLANCUS.

Ope Morgagni noſtri accepi ſuperioribus diebus litteras tuas humaniſſimas poſtridie Kalendas Aprilias datas, quibus accurate reſpondere nequeo. Ita enim ſunt exaratæ, ut verba tantum per ſaltus legere poſſim. Dives quum ſis, & titulis merito ornatus, cur amanuenſi non uteris in conſcribendis epiſtolis ad amicos? Aliqua tamen, ut potero, reponam. Si Cotunnii ſulcos & canales non admittis, ego Te, ut hæc admittas, ſuadere non poſſum. Fortaſſe Te melius in hac re ſuadebit Abbas ille Fontana Roboretanus, amicus & fautor tuus, qui ea omnia Cotunnii probat, & Florentiæ oſtendit omnibus. Suadebit quoque Caldanius, qui in Ephemeribus Venetis nuntiavit ea omnia Cotunnii ſe reperiſſe,& eo magis hoc tempore ſuadebit, qui cum Cotunnio ipſo colloqui poterit, qui modo Venetiis moratur, & paulo poſt Patavium petet, ut Morgagnum, & Caldanum ſalutet, uti heic Arimini pro ſua humanitate in tranſitu me ſalutavit, & novum libellum mihi dono dedit de Iſchiade nervoſa, cum figura, quæ morbi ſedem ob oculos ponit; oſtenditque ſimul opuſculum aliud a ſe inchoatum de ſternutatione, in quo & verbis & figuris ære ſculptis ſedem hujus phænomeni oſtendit, ubi nova reperta item ſunt, & Meckelium Anatomicum Berolinenſem notat.

Non

a) Non rejeci ſulcos & canales egregii Cotunnii: de eo dubitavi, num vere oſſeus aquæductus in venam conſpicuam ſe inmittat.

Non miror, ſi ſoboles regia Saxonum univerſa ex inoculatione variolarum convaluit. Potius mirarer, ſi aliquis ex ea inoculatione occubuiſſet; nam plerique ex variolis naturalibus bene curati evadunt, nedum ſelecti, & inoculati. Attamen conſtanter ſemper ajo prudentis Medici non eſſe eam cuipiam ſuadere, & potius Swetenium, & Senacum regios Medicos imitor, qui in regia prole ſibi commiſſa nunquam ſuaſerunt, ſed tantum in genere eam laudant, uti & ego ſoleo, eamque tantum Medicis quibusdam quaſi circumforaneis celebrandam relinquunt.

Caldanius noſter tandem Patavinam cathedram eſt aſſequutus, & modo Lavagnoli morte competitoris ſui cathedra medicinæ primaria, & novo ſtipendio fuit ornatus.

Datis Arimino ad d. v. Idus Majas anno cIɔ Iɔcc LXIIIII.

231.

CALDANIUS.

Accepit Morgagnus Phyſiologiæ Tom. VI. exemplaria duo. Unum ſibi pertinere intelligit; alterum cui deſtinas ignorat, niſi id moneas.

Venetus Senatus me ad primariam theoriæ medicæ cathedram evexit, me prorſus inſcio, aucto præter morem ſtipendio. Cathedra eſt omnium prima, & multo dignior (tum quo ad honorem,

tum quo ad incerta emolumenta) cathedra anatomicâ, & reliquis omnibus. In ea moriar.

Tomum ſextum ampliſſimæ tuæ Phyſiologiæ nondum accepi; neque intellexi per quam viam Morgagno mittes T. VII.

Proximis diebus hic habuimus Cotunnium Neapolitanum, hominem vidi potius juvenem; bene tamen doctum, ſi quid ego judico, ſed fervidiſſimi temperamenti, & qui ferre non poteſt, ut ea, quæ ſua ſunt, in dubium revocentur. Edidit nuper commentariolum *de Iſchiade nervoſa*, in quo præter alia, monet aquam perpetuo reperiri ad initium ſpinalis medullæ; illi ſimilem, quæ interdum cerebri ventriculos obtinet, & certe naturæ nullo pacto congulabilis. Commentariolum Swietenio inſcribitur, & Tibi quamprimum adveniet.

Vale Amice præſtantiſſime ac celeberrime; & Deus Tibi otia & longam vitam largiatur in Reipublicæ litterariæ incrementum.

Dabam Patavii die 17. Maji 1765.

232.

JOH. GESNERUS.

Exanthematica febris, quæ tuſſi ſupervenit, etſi primò levamen attuliſſe videbatur, ita morbi typum mutavit, ut inde multo gravior redditus & paroxyſmorum numerus ſit auctus, & ſudores

nimii

nimii & anxietates, & animi atque corporis debilitates cum tuſſi moleſtiſſima me vexarint. Fractis viribus ſuccurrebat corticis extractum, quo cum ſucco liquiritiæ & ſaccharo lactis in convenienti vehiculo ſalutari cum fructu uſus ſum. Ut nunc annuente divina clementia reconvaleſcentiæ plena ſpes appareat.

Poſtridie cum enarrabam litteras meas, advenerunt nova tua munera, Tractatus de Salinis, copioſus, elegans, totus pulcherrimis obſervationibus, quæ tuæ ſagacitati & induſtriæ debentur, plenus, & qui Patriæ maximarum utilitatum ſpem facere jure poſſit, & ſimul ſpecimen ſuppeditet, qua ratione cognitio phyſico-geographica ſit pro uſu publico excolenda, mirifica cum voluptate opus legi, & gratias plurimas habeo. Alterum exemplum Ampliſſ. Heideggero, tertium nobili Schultheſſio reddi curavi, quibus gratiſſimum fuit munus. Simul accepi Cl. Ittii utile de febri pneumonica ſcriptum: & Cl. Somiſii ratiocinia de vita ſub labinis.

Nimis periclitari, mihi videris, ſi in ea ætate ex beata veſtra ſede in Academiam Göttingenſem migrationem inſtitueres, in locum, qui omnibus belli calamitatibus multis modis turbatus eſt, in quo nec aër purus nec aqua pura, & vivendi ratio a veſtra aliena eſt, in quo etiam ad gravia negotia & fere collapſæ Academiæ reſtaurationem accedendum eſſet. Equidem ſcio & dignitatem maxime præclaram, & vehementa emolumenta

lumenta Tibi propoſita eſſe, & ampliorem litteris promovendis locum. Neque ea tamen omnia tanti videntur, quin præferenda ſit commoratio in Patria, apud familiam & amicos ſelectiſſimos, in Patria cui tua opera in tot rebus phyſicis, medicis, politicis, utiliſſima & ut verius dicam, neceſſaria foret. Quamvis enim id non omnes æque agnoſcere videantur, experti ſane diſcerent ea jactura, quam ex diſceſſu tuo ad Academiam paterentur. Et dum ita pergis pro inſtaurandis litteris elegantioribus, arte medica, ſcientia phyſica & utiliſſima ejus applicatione in uſus patrios, ſimulque publicos continuo elaborare, tot experimentis tandem convincentur cives tui, quantum Tibi debeant, & Tibi jucundiſſimum erit laborum tuorum fructus uberrimos in promota felicitate Patriæ cognoſcere. Emolumenta ab Academia Göttingenſi propoſita magna quidem & omnino liberalia videntur. Sed & ſumtus in itineribus faciendi, & in ipſa Academia non exigui ſunt, & Tu ipſe pro liberalitate tua magnam partem ad promovenda ſtudia conſumeres. Interea cura rerum tuarum œconomicarum Bernæ, & in Dominii Goumoëns, aliis foret committenda. Dum Bernæ Tu ipſe omnibus præeſſe potes, & amicos tuos conſilio & opera tua adjuvare, & Enumerationem Stirpium Helveticarum commode elaborare, & ad ſummum perfectionis gradum perducere, neque ideo Academiæ Göttingenſi tuam operam denegas, ut qui Præſes Academiæ ſcientiarum & prudenti conſilio & utili opera prodeſſe pergis. Etſi recte novi leges veſtras, poſt ſeptennium

nium Tibi optio datur ad ſeligendam provinciam, quæ cum magno honore & maximis emolumentis ſit conjuncta, interea per totum id tempus via & ſpes non improbabilis ad Senatum interiorem Tibi patet. De dignitate Cancellarii nil addo. Eſt enim, ut mihi videtur, non minus honorificum dignitatem ex patriotiſmi amore recuſare, quam oblatam accipere. Memini ſymboli Camerarii, qui omnes oblatas vocationes recuſans ajebat, alterius non ſit qui ſuus eſſe poteſt. Hæc vero, quæ forte liberius ad Te ſcribo, velim amico meo animo tribuas. Non dubito Ampliſſ. Heideggerum & Nob. Schultheſſium graviores rationes, quæ Te in Patria retinerent, ſuppeditare potuiſſe, ſi valetudo permiſiſſet ſermones cum iis miſcere. Certus autem confido, Deum O. M. Tibi ea conſilia ſuppeditaturum eſſe, quorum Te nunquam pœnitebit. Id unum addo, pleniorem etiam in Te futurum omnium tuorum civium amorem, ſi cognoverint, quod amore Patriæ ductus tam lautas, tam magnificas exterorum conditiones recuſaveris.

Vale, Vir Ampliſſime & Amiciſſime, & me, ut ſoles, perge amare.

Turici 18. Maji 1765.

P. S. Zieglerum proximo die lunæ ex itinere in Gotthardum facto reducem exſpecto, qui certiora de Salinis Underwaldenſium & Pino *Mugo* referat.

Novo beneficio me devincis, quod Milleri reditum non urgeas. Conferenda enim reſtabat deſcriptio cum Tabulis nonnullis a Schellenbergero & Millero depictis, opus paucarum horarum, ſed in ea infirmitate corporis extra lectum commorari non licebat.

233.

J. F. LOBSTEIN.

Tres adſunt vaginales tunicæ. Prima, quæ involucrum commune funiculi & teſtis eſt, denſum eſt quoad aſpectum atque compactum. Hæc includit alteram, quæ vaginalis funiculi eſt, mere ex celluloſa ſubtiliori conflata: & tertiam, quæ vaginalis teſtis propria eſt, cui arctius ſeſe applicat, quum vaginalis communis & vaginalis funiculi laxius cohæreant.

Flando hæc non minus ac ſcalpelli ſectione monſtrari poſſunt. Si immitto tubum in abſciſſum funem cum propendente teſte, aëremque adigo primam inter tunicam & vaſorum faſciculum, is totum funem pervadit; quum ad teſtem pervenerit, ſeparationem nullam inſtituit cum vaginali teſtis, ſed eum tegit locum, eumque in altum elevat, qui retro & in ambitu epididymidis eſt. Si urgeo fortius aërem, rumpitur hæcce communis, priusquam aër dictam ſeparationem inſtituat. Forficis ope inſtitui nunc ſectionem per totum funem, & apparuit involucrum hoc extimum evidenter, quomodo & funem & teſtem involveret, & cauſa, cur aëris ope ſeparatio nulla fiat.

Si

Si immitto tubum in medium vaſorum faſciculum, omnis funiculus elevatur, refertque ſpongioſum corpus, & eundem locum, ac in priori dictum, aër replet copioſus, per cellulas conſpicuus. Hæc vaginalis mera eſt celluloſa, in plurimas, ſi volumus, vaginales diſtincta, quæ ſingulis vaſorum generibus ſuas præbet.

Tertia vaginalis teſtis eſt tenuis, pellucens, firma membrana, teſtem & epididymidem uti videtur involvens, cum albuginea teſtis ita concreta, ut nonniſi in principio ab albuginea flatus ope & difficilius ſcalpelli ſeparari poſſit. Coercetur hæc in uno loco latere teſtis, altero latere epididymidis a cauda ejus ad caput uſque. Supra epididymidem ſeſe reflectit, in ſulcum ſeſe immittit, qui hanc inter, & corpus teſtis eſt, ſuperque corpus teſtis iter continuat.

Hæc ea eſt, quam Winslowius §. 517. deſcribit, & quæ caveam format, in quam vapor halat, &c.

Argumentum, quod hæc vaginalis ſupra albugineam ſeſe volvat, hoc eſt. Si inſtituitur experimentum flatus ope ad præparationem vaginalis tunicæ vaſorum, aër, quem retro epididymidem hærere dixi, ſeparat hanc a tertia aliquo modo, dum is ſeſe inter albugineam & vaginalem teſtis inſinuat, & bullis ibi conſpicuus evadit. Quod ſi has tunicas intercipio digitis, aërem ulterius verſus corpus teſtis urgere tento, repit is adhuc per aliquod ſpatium, hancque ab albugi-

nea ſeparat. Hæc fiunt in toto ambitu ſuæ adhæſionis.

Sed arcta nimis denſaque eſt albuginea, quam ut dicere quis poſſet, intrare aërem hoc modo in compoſitionem hujus tunicæ. Experimentum ergo inſtitui in cadavere integro. Adegi aërem per funem ſurſum verſus principium funiculi, ut videre poſſem, num aliqua jam diſtinctio ibi adeſſet; ſed repebat undique aër in ſuperficie externa peritonæi, ut nondum vaginæ forma apparuerat.

Relata figura quadam exprimere haud difficile erit. De his juſſa tua exſpectat, cui ulterius favere velis.

234.

JOH. GESNERUS.

Equidem Cl. Juſſievi familiæ non ubique inter plantas affinitatem exhibent, quæ non in pluribus ambiguitatem involvat, neque Adanſonianæ ex Juſſievianis depromptæ, neque etiam nuperæ a Linnæo generum editioni ſextæ ſubjuncti ordines majorem lucem adferre videntur. Erunt ſemper media quædam genera, quæ perinde huic vel illi ordini adſcribi poterunt, prout definitio ejus ex hac vel illa parte laxior aut arctior fiat. Et ea methodus ſemper optima erit inter artificiales, quæ plures claſſes naturales proponit, & ordinum notas a partibus vegetationis & fructificationis ſimul petit. In his ipſa methodus a Te propoſita facile reliquis

reliquis palmam præripit; neque admodum difficile eſt, pleroſque ſaltem Linnæanos ordines eidem inſerere.

Buffoniana opera vidimus, quæ vix finem erunt inventura, niſi in reliquis Hiſt. naturalis partibus diverſam a prioribus viam ingrediatur.

Ampliſſ. Heideggerus ex acidulis Rippolzavienſibus per Argentoratum rediit. Nunc conſilia agitantur de conſtituenda ſchola, ut vocant reali, & emendatione methodi docendi diſcendique in ſcholis noſtris inferioribus æque ac ſuperioribus: tum etiam in explorandis variis, quæ ad ritus eccleſiaſticos & liturgica pertinent. Faxit Deus ut conſilia ſint ſalutaria.

Vale Vir Illuſtr. & me ut ſoles amare perge.

Turici d. 10. Aug. 1765.

235.

ACHILLES MIEG.

Diu epiſtolam diſtuli, partim quia ad ultimam tuam nihil reſpondendum erat, partim ob novorum Tibi ſcribendorum defectum, & quia denique exſpectare volui, donec emendationes eſſent impreſſæ, quas nunc tandem Imhofium tranſmiſiſſe audio. Earum integram correctionem, ſæpe abſens, curare non potui. Duas ultimas partes correxerunt Cl. Viri, Rud. Stehelinus & de la Chenal. Conſcius tamen ſum, & in pri-

mam, quam ſolus correxi partem, aliquot irrepſiſſe errores in montium fere nominibus, quæ legere non potui, neque adeo emendare. Poterunt vero, ſi lubet, corrigendis adjici.

Practicis ſolis dudum inhærens negotiis in plantis hoc anno nihil profeci; neque ut ſpes erat, valde raras reperire potui in itinere, quod elapſo menſe Auguſto in diverſas regiones M. Vogeſi, ad acidulas & balnea quædam viſitanda, inſtitueram. Primo nimirum *Sultzbacum* prope Colmariam adivi, ubi ſatis celebres *acidulæ ferratæ* ad fontem ipſum valde ſpirituoſæ, a Dn. Hausmanno Colmarienſi, quem Medicum iis mox præpoſitum iri ſpes eſt, nuper deſcriptæ, quæ a noſtris multum frequentantur, & egregium, præ aliis, uſum præſtant, in abluendis & evacuandis primarum viarum ſordibus, ſolvendis imi ventris obſtructionibus, & roborandis partibus ſolidis: hinc in cardialgia, appetitu dudum perdito, malo hypochondriaco & melancholia; quibus apud nos affecti ſolatium ibi communiter & quærunt & reperiunt, ut frequenter ex dementia reſtituti redeunt. Inde vidi *Acidulas ſupra pagum Sultzmatt*, unicâ leucâ ab oppidulo Alſatiæ Ruffach remotum, abunde ſcaturientes, loco inamœno, hinc parum, & fere a ſolis Mühlhuſinis frequentatas, ſed mox celebriores futuras ex deſcriptione a Dn. Morel, Colmarienſi, publicanda, a Sultzbacenſibus cæterum vix diverſas. Tertio adivi Mühlhuſio propinquius, & ejus incolis adamatum, *balneum frigidum oppiduli Wattwyler*, ab eodem Dn. Morel nuper-

nuperrime in peculiari tractatu (quem cum aliquot diſputationibus mitto) fere nimis laudatum, cum vix quicquam a communi aqua diverſi habeat. Tum *Buſſangenſes acidulas* Lotharingiæ guſtavi, a Dn. le Maire ante 15. jam annos celebratas, quarum curam nunc proprius Medicus gerit, Sultzbacenſibus non inferiores, forte etiam ferro, ſi ex Ochræ copia concludere licet, ditiores, faciliusque iſtis tranſportabiles, ſed loco minus amœno & deſerto, fere dimidia leuca a pago cognomine, poſitas, abſque ambulacris, cum unica habitatione, quæ vix 20. hoſpites contineat, hinc parcius, a Pariſinis tamen viſitatas, a noſtris vero neglectas, ob Sultzbacenſes fere guſtu gratiores, quas & amœniores reddunt ambulacra nova a loci Domino Barone de Schaumburg, fontibus diverſe ſalientibus nuper ornata, tum copioſior frequentatio, & plura denique hoſpitia, vicinitasque oppiduli &c. Celebriores a longo jam tempore poſtmodum inviſi *thermas plumbarias*, a natura in anguſta & per ſe ingrata valle, longe ab aliis pagis, locatas, ſed a noviſſimis pulchris ambulacris, mundis, percommodis & copioſis hoſpitiis, incolis valde officioſis, & adminiſtratione fere inemendabili, quam Medicus ſemper præſens (nunc Dn. de Gueres) dirigit, tanto amœniores redditas; quæ potu, balneo, ſudatorio, embrocatione, perefficaces ſe præſtant in ſoda aliisque malis ex diverſimodo ſuburra primas vias occupante, tum in morbis variis ex obſtructione & nimia partium ſolidarum rigiditate, tumoribus frigidis diſſipandis, ſanandisque ulceribus, maxime

me vero in tollendis chronicis doloribus rheumaticis, paralyticis affectibus, articulorumque immobilitate. Quam ibi *ſaponaceam aquam* nominant, in ea nihil detegere potui, quod a communi aqua ipſam reddat diverſam: paulo minus friget alia vicina frigida ſcaturigine, ſed guſtu non differt, clara eſt, neque tactu lubrica, & in Capucinorum horto ex molli humida rubente ſabuloſa terra, cujusmodi in vicino Burgundiæ comitatu vulgatiſſima eſt, promanat, tota hepatica fontana obtecta, quam terram unice copioſa, quibus ſcatet, ovula illis formicarum ſimilia, dum manibus teritur, lubricam & quaſi ſaponaceam reddere mihi viſa ſunt. Inde tandem per Burgundiæ comitatum & Suntgaviam Baſileam repetens, tribus a Plumbaria leucis diſſitas adhuc vidi *Thermas Luxovienſes*, dudum quidem notas, ſed ob viciniam forte Plumbariarum, & minus commoda hoſpitia, diu fere neglectas, illis licet amœniores, nuper (1761.) ab anonymo Veſuntino denuo commendatas, quas nunc civitas pulchris novis ædificiis & ambulacris ornat. Sex ibi ſunt, ſibi invicem propinqua diverſi caloris balnea, quorum nullum tamen ad ſudatoria conſtruenda ſatis calet, cæterum guſtu, &, ſi fides habenda incolis, virtute ſimilia Plumbariis, ea fere ratione ſicut illa Badæ Helvetiorum ſtructa, quibus etiam duo ex una ſcaturigine oriunda (quæ ipſe potui deſtinatur) odore levi ſulphuris appropinquant, &, præ reliquis balneis, ſcabie affectis commendatur. Referunt potu alvum laxare iſtas thermas, & id copioſæ foricæ ſupra rivulum adſtru-

ctæ

ctæ confirmant. Frigidam & hic ſcaturiginem pro aqua ſaponacea venditant, quam guſtu ingrato, acerbo, & cuticula ſupernatante aquæ calcis ſimilem reperi, illo ex parte forſan a novo adhuc muro, e quo promanat, nato. Duæ tandem adſunt aliæ frigidæ ſcaturigines, quas, licet nihil ſpirituoſi inſit, copioſum tamen ferrum continere ſapor ſubadſtringens probat, & abundans ochra, & cito denique ortus nigreſcens color ex injecto Gallarum pulvere. Solum arvorum in eo tractu comitatûs Burgundiæ, quem peragravi, fere ubique obſcure rubet; & montium, qui Vogeſum conſtituunt, duriſſima ſaxa pleraque ſimiliter colorata ſunt, aut ſubnigreſcunt, multæque ibi uſtrinæ ferrariæ, & officinæ ſunt ad fila ferrea ducenda. Cæterum ſteriles plerique illi montes exiſtunt, ſolo fere Ballon excepto, quem plantis ditiſſimum eſſe alio tempore ſcripſi, nunc vero non inviſi, & Buſſangenſi monte, ubi tamen Sorbus aucuparia, Alſine alpina glabra (Saponaria 4. Enum.) Digitalis purpurea, & Telephium vulgare, rariſſimas conſtituebant plantas, quæ mihi (equitanti) in conſpectum venerunt; Geniſta ſcoparia & Erica vulgaris, omnes fere montes, & nimis crebre macerrima paſcua, tantum non ſolæ obſident.

Inoculationem prægreſſo vere in ſeptem infantibus inſtitui, iisque omnibus morbus levis & paucæ puſtulæ erant, quæ in 4. puellis, tenera cute præditis, magnam partem reſolutione & tranſpiratione abiverunt; in una, cujus prima vul-

vulnuſcula paucis diebus abſque ſuppuratione coaluerunt, poſt alteram demum inſitionem natæ, quæ methodo Tronchini ope veſicatorii tunc facta majora omnino brachiis incommoda attraxit, ut adeo ſemper inciſionem præferrem. Plurima oſcula, quæ puellus, ante annum inſitas variolas paſſus, uni ex iſtis inoculatis, quibusdam jam ſiccis, aliis demum maturantibus puſtulis, dedit, nihil ipſi nocuerunt, tametſi eædem illo ipſo tempore duos alios infantes continuo adſidentes, necdum variolas paſſas, naturali via infecerint, & duos alios inſitione cum filis inde depromptis. Dn. de la Condamine novum denuo parat commentarium coram Academia regia legendum, & undique nova congerit. Imprimis cupit ſcire, quotnam hactenus inoculationes in quibusvis Helvetiæ civitatibus ſint factæ, & an feliciter omnes, ſi adeo lubet vel ipſi, forte a Te id petituro, vel mihi ſignificare civitates Bernenſis ditionis, ubi methodus adhibita fuit, nomina inoculatorum, numerum inoculationum, eorundemque eventum bonum malumve, gratam rem facies.

Epidemia varioloſa priori anno, & initio hujus, fere ad XV. menſes in noſtra urbe perduravit, univerſalis fere, ſatis tamen benigna, ſi cum aliis conferatur, & forte decimam ſolummodo partem necans, ſed pluribus foveolas inurens, & paſſim fiſtulas lachrymales aliave, oculorum præcipue, mala relinquens, nec adultis parcens, quorum pluſculos invaſit, interque illos Henricum Gernlerum celebrem apud nos Philologum & Polyhiſtorem

ſtorem ad plures rapuit. Morbum ſubinde præviſum ſimplex præparatio ope diætæ idoneæ, aut unicum purgans, mox ante febrem vel in ejus demum initio datum, plerumque valde levem conciliavit. Convulſiones ante eruptionem aliquandiu durantes in pallidis infantibus liquor anodynem Hoffmanni ſæpe ilico diſcuſſit; illas vero, quæ ſuppurationis vel maturationis tempore acceſſerunt, ſæpe tunc ex corruptela in primis viis ſtabulante natas, & fere ſemper cum dentium ſtridore, cæteri vero corporis minus notabili motu ſtipatas, ſubinde clyſmatibus ſuſtuli, aut purgante etiam, maxime ſi ex faucibus & pectore pituita onuſtis ſuffocatis ſimul immineret. Micturitionem moleſtam eruptionis tempore ſpongia ex aqua calida expreſſa, & pubi admoti cito lenivit; uti dolores ex tenſione nimia puſtularum, maxime in genitalibus, illitio olei Verbaſci. Pallidas & lente creſcentes puſtulas vino Muſcatellino utiliter adjuvi. In gangræneſcentibus ſpiritum vitrioli, & paſſim, ſi vires jam deficerent, & depreſſæ eſſent puſtulæ, adjunctam Kinkinam valde profuiſſe vidi. Abraſionem puſtularum ſpontaneam, ſiquidem moderata eſſet & bene maturatæ puſtulæ, vel aperturam cum forfice, non ingratam infantibus, ſed factu ſane moleſtam & diutinam, in benignis (ſere citius quam præſto ſis in facie & ſemper abſque noxa ſiccantibus) inutilem, at, ubi nimis lente ſiccabantur, ad avertendas cicatrices, aliaque mala ex reſorbtione, omnino proficuam reperi; & ad depurandam a cruſtis faciem vix aliud remedium efficacius, quam lavationem frequen-

ſrequentem cum vino calido, in quo butyri tantillum ſuit ſolutum; ad relicta vero ulcuſcula in cute a puſtulis corroſa balnea ex decocto Malvæ & ſummitatum Pini. Unguibus diruptas puſtulas, aut ſemiſiccas cruſtas, pluſculos infantes avide & innocue, devoraſſe animadverti, eorumque unus dulces eſſe, & paſſulas majores referre rogitatus confirmavit.

Hoc currente anno valde funeſtam Epidemiam nullam habuimus, neque fere ulla veſtigia animadvertimus illius febris putridæ, quæ Bernenſem & Solodurenſem ditionem initio anni adeo graviter afflixiſſe dicitur. Solummodo jam a quatuor circiter menſibus vehemens tuſſis ferina per infantes graſſatur, raro quidem, per ſuffocationem aut convulſivos motus, lethalis, ſed diuturnitate patientiam & omnia fere remedia ſuperans, in teneros illos maxime ſæviens, quibus ſtomachus quotidie pulmentis farcitur. Emetico-cathartica ſatis fortia, ſubinde repetita, optimum adhuc levamen attulerunt, reſoluta inter illorum uſum tenaciſſima pituita, qualem ſubinde vomitu reddebant, potu aquæ mineralis ſubſalſæ de Vahls, ex Delphinatu advecta, quam hic præ aliis incidentibus (etiamque in ipſis nodis rhachiticis) efficacem, & infantibus gratiorem vidi; cujus, ſi quando deficeret, aut nimis pretioſa eſſet pauperibus, vices aliquatenus ſupplevit aqua medicata quædam, retro medium Gundeldingen ſcaturiens, Scheuchzero jam nota, modice frigens, clara, abſque bullulis aut ſpirituoſo ſapore, ſed ſulphur ſubolens, & guſtu

guſtu etiam thermis Schinznacenſibus non abſimilis, gratior tamen, neque evaporatione in argenteo cochleari hujus colorem mutans, ſed tubum ferreum, quo nunc exit, quoad ipſum tangit, nigerrimo colore tingens, copioſam ochram deponens, ex injecto cortice quercûs aut gallarum pulvere cito ſature purpuraſcens, & ex ſyrupo violarum pedetentim virideſcens: quæ adeo, tametſi cum ſpiritu vitrioli (uti neque cum oleo tartari) non efferveſcat, aliquid ſalis alcalini, & ferri, & ſulphuris volatilis continet; quamque pro potu ordinario infantibus datam tribus vel quatuor prioribus diebus leviora tormina (cum lente forſan ſolveret & per inteſtina difficulter depelleret tenacem pituitam) excitaſſe, denique diarrhœam pituitoſam cum aliquo levamine tuſſis, ſæpe etiam nimiam, ut aliquandiu ab ipſius uſu abſtinendum eſſet. Balnea porro modice calida, ubi fortis aberat febris, adjuviſſe ſolutionem & evacuationem pituitæ, & aliquando eruptionem ſudaminum copioſam cum fructu inde ortam vidi. Ultimo ad labefactatum vomendi conatibus ventriculum, & appetitum revocandum (qui denique ceſſavit, cum ab initio ſæpe nimius eſſet, ab irritante, ut opinor, ſumma acrimonia tenaci illi pituita implexa, quæ in pelves ex lamina ferrea factas projecta ipſas corroſit) adhibui ſyrupum Kinkinæ cum tertia vel quarta parte ſyrupi de Eryſimo permixtum, & pro potu infuſum refrigeratum ſummitatum Pini & Liquiritiæ. Hanc nimirum methodum aliis quidem efficaciorem vidi; ſed diu tamen ſemper protractum malum, in imbecilliori-

bus maxime infantibus; ut adeo breviorem methodum in gravi iſto infantum affectu valde deſiderarem, qualem, ſi noſti, rogo, ut benigne indices.

Vale, Vir Perilluſtris, mihique porro fave.

D. Baſileæ d. 10. Sept. 1765.

236.

JANUS PLANCUS.

Initio tantum labentis hebdomadis ope Ignatii Somiſi Taurinenſis accepi per publicos tabellarios humaniſſimas litteras tuas die XIV. Quintilis datas, a quibus audivi Te ad Morgagnum miſiſſe pro me poſtremos libros VI. & VII Phyſiologiæ tuæ; de quibus nihil ſcribit ad me Morgagnus, licet paulo ante ſcripſerit, & quidem de Te etiam. Scribo modo ad eum, ut de iis libris me certiorem faciat.

De Cotunnio & Meckelio Anatomicis eximiis nihil amplius loquar. Res eorum ſunt materia facti, quæ prodibit aliquando aperte, poſtquam invidia, & contentiones deferbuerint.

Alii multo ante ſcripſerant variolas ſingulis quinquenniis magis exitiales ſuſcitari; tamen per novem quinquennia, & amplius, ex quo ego heic medicinam facio, id nunquam contigit. Inoculatio certe poterit illud exitium avertere. Sed quando variolæ ſunt ita exitiales, inoculatores ceſſant

ceſſant ab officio, & ægros in diſcrimen relinquunt.

Swietenius potuiſſet fortaſſe inoculatione avertere exitialem morbum ab Archiduciſſa; ſed prudentiæ non erat in Swetenio ſuadere inoculationem ullam; melius eſt enim ut fato homines pereant, quam arte & conſilio Medicorum. Intereunt namque interdum inoculati, vel cum graviſſimo morbo conflictantur.

Cauſa, quæ circumforaneorum mera eſt, Tu, Vir Optime, inconſulto facis tuam; Patronos enim inoculationis non voco ego circumforaneos, ſed eos qui eam exercent, ſeu exequuntur. Tales voco, quales ſunt mulierculæ illæ Græculæ Byzantii, quæ pane vel tenui alia ſtipe inoculatoriam artem faciunt. Apud nos inoculatores in magno pretio ſunt, ut præmiis multis, & ſi Diis placet, vel ſtatuis ipſis donentur, ſed veri circumforanei ſunt & ipſi, ut Græculæ illæ. Vale.

Datis Arimino a. d. XI. Kal. Octobr. anno cIↄ Iↄcc LXV.

237.

D. LUDWIG.

Diuturni mei ſilentii Vir Generoſiſſime, eſt cumulus laborum, quem mihi ipſi impoſui, & quem ad finem producere non poſſum, cum alii ſæpe haud præviſi mihi interea imponantur. Ger-

manicam editionem Chirurgiæ meæ paro, & libellum conſcribo de methodo doctrinæ medicæ univerſæ. Tardius itaque proceſſit editio commentariorum, quam tamen hac hyeme urgebo, cum libri novi interea ita aucti ſint in bibliotheca, ut neſciam in quibus recenſendis occupare debeam amicos.

Accepi Tomum ſeptimum Phyſiologiæ tuæ, & debitas grates perſolvo: ſimul enixe gratulor de hoc opere finito, quod præſtantiam doctrinæ & in contemplatione naturæ & in comparatione cum ſcriptis præſtantiſſimorum auctorum, omnino exprimit. Diſſenſum aliorum expertum eſt, id tamen ſemper in incrementum artis ducit.

Id tamen doleo, quod hoc tuum ſpecimen doctrinæ anatomicis obſervationibus maxime ſuffultum non plures excitaverit ad culturam anatomes, quam in univerſa Europa ferme neglectam video. Omnes ad botanica, chemica, œconomica ruere video, nullum ferme poſt Te ad anatomica. Zinnius & Janckius noſter quædam exhibuiſſent nova ſpecimina, ſed præmatura morte abrepti fuerunt, & dignus tuæ doctrinæ diſcipulus Cl. Meckelii nondum tradit neurologiam, quam tamen multis modis illuſtrare potuiſſet. Si omnes meos diſcipulos conſidero, nullum ferme invenio, qui ad hoc opus accedere poſſit, inprimis cum inter noſtros occaſio exercendi anatomen non tam copioſa ſit.

Cultura horti mei, quam non prorſus negligo, multum detrimenti accepit, ex tempeſtatum injuria,

injuria, quam hoc & ſuperiori anno, ad maturitatem ſeminum minus aptam cognovi, & niſi Cl. Gouan Monſpelienſis recentia ſemina communicaret in annuis plantis, nihil ferme oſtendere poſſem. Succulentas tamen ita ſervavi, ut vix credam, in alio horto Germaniæ plures ſpecies deprehendi.

Adanſonius magnam rei herbariæ cognitionem acquiſivit, ſed, ut ego opinor, ad doctrinam minus aptus, logicis principiis non ubiqu inſiſtens.

Crantzius Vindobonenſis multa molitur, ſed obſervationes reiteratas negligit, & Linnæi laboribus utitur, quem tamen ubique carpit.

Vindobonenſis ſchola medica, quæ nunc illuſtrior fieri incipit, ordinem doctrinæ non ſemper ſervat: copioſos libellos emittunt, in quibus paſſim bona inveniuntur, ſed limata opera & quæ nonum premantur in annum, nondum vidimus.

Multi quidem ſperavimus tuum in Germania adventum, ſed nunc de eo deſpero. Natale ſolum ſua dulcedine Te capit, & erudito orbi nihil aliud optandum eſt, quam ut in tranquillitate perficias ea, quæ a Te exſpectamus.

Vale, & me ut ſoles ama.

Datum Lipſiæ d. 22. Octobr. 1765.

238.

BERDOT, Filius.

Tibi tractatum de monſtris, ut audio, propediem edituro, non ingratum fore putavi, ſi monſtri cujuspiam bicipitis apud nos elapſo menſe in lucem editi & in ſpiritu vini a me ſervati, hiſtoriolam & qualemcunque tranſcripſero anatomen. Innupta 30. & aliquot annorum primipara, totum graviditatis curriculum optime transgreſſa, gemellosque ſe utero geſtare rata, quod vividiores eosque in oppoſitis ſimul ventris regionibus ſubinde perciperet motus, quodque inclinante graviditate duo diſtincta in epigaſtrio capita, globorum forma tangeret; d. 8. Septembris doluit ad partum, fœtu in intervallo dolorum vivide commoto, aquis autem decem incirca horis ante partum effluxis. Prodeuntem natibus fœtum arreptis pedibus extrahere nititur obſtetrix ruſtica, dextro femore in epiphyſi inferiori, crure autem ſiniſtro in ſuperiori fractis, fracta quoque dorſi ſpina mortuus educitur fœtus, perineo matris lacerato maleque affecto veſicæ ſphinctere, urinæ non amplius imperante.

Fœtus fœmineus nonimeſtris, vel 38. ſaltem hebdomadum, ſi matris computo fides adhibenda, biceps erat cum duobus collis, ceterum in externis omnibus, ſi truncum aliquanto toroſiorem & latiorem, nequaquam autem difformem excipias, plane naturalis. Trunco implantabantur duo

duo colla adjacentia, ſuum cuivis collo inſidebat caput, mole & forma fœtus maturi: facies utrique capiti ſimiles, formoſæ, oculi cærulei, gingivæ duriuſculæ, cartilagineæ, & dentes albedine refe-rentes. Aures adjacentes, ſiniſtra nimirum dextri & dextra ſiniſtri capitis, paulo planiores & elatiores oppoſitis externis, meatus auditorii in illis ſtilum minus profunde admittebant quam in hiſce, hæc forte a compreſſione adjacentium laterum. Colla & capita antrorſum diſtincta & ſejuncta, retrorſum autem protenſa tenui membrana jungebantur, quæ tamen trium pollicum pariſinorum dehiſcentiam inter adjacentes aures patiebatur, duorum cum dimidio inter maxillas, capitibus ſurſum multo magis dehiſcentibus. Colla jungens membrana, cutis erat dorſi ad aures adjacentes uſque, retro quas terminabatur, prolongata, inde antrorſum in ſe reflexa, vel replicata, oblique in collorum intervallo deſcendebat pectori ſuperdanda. Facies coloris erant naturalis, nec contuſa nec tumida capita, ut ante mortuus videatur fœtus, quam oſſium pelvis anguſtias tranſierint capita, deficiente enim ſanguinis appulſu, compreſſa non tumuerunt.

Tecto corpore, capitibusque ad ſe invicem admotis, gemellorum ſpecie una faſcia involutorum egregie fallebat monſtroſus fœtus.

Aperto abdomine prodiit hepar mole inſigne, ut transgreſſo epigaſtrio utrumque teneret hypochondrium, ceterum colore & conſiſtentia naturale.

Tegebat hepar duos ventriculos vacuos, æquales, altero dextrorſum altero ſiniſtrorſum prodeunte. Deſcendendo prolongabantur ventriculi & pyloris ad ſe invicem accedentibus arcum formabant. Siniſtro ventriculo continuus videbatur inteſtinorum tubus, dextri autem pylorus aliquantum prolongatus duodeno inſerebatur, eodem loco cum ductu pancreatico & choledocho: inſertionis locus firmior & ſphinctere munitus videbatur, ſimæque hepatis faciei accretus fulciebatur. Aëre per tubum pharyngi dextri capitis adaptatum facile implebatur & turgebat ventriculus dexter, ſiniſtro immutato; ſic & illibato dextro ſiniſter ventriculus inflabatur; ut ſuus cuivis capiti œſophagus foret & ventriculus.

Unicus & communis a loco inſertionis pylori dextri in duodenum inteſtinorum tractus, ſolito autem, ut videbatur, capacior, totus quantus flatu, dein aqua ad anum uſque egregie impletus.

Diaphragma naturale, ſi hiatum excipias, quo dextro œſophago patebat.

Reliqua abdominis viſcera, ſitu, figura, numero, conſiſtentia naturalia, mole autem, ut videbatur, aliquanto majora.

Umbilicus, vaſaque umbilicalia ut vulgo.

Pelvis uterum unicum unamque habebat veſicam.

Pectus, ut ſolet, mediaſtino bipartitum, pulmo utrinque unus quadrilobus. Aëre in laryn-

gem

gem dextri capitis per os inflato tumefiebat pulmo dexter, immutato altero, ſic & ſiniſter intacto dextro inflabatur.

Sua cuique collo aſpera arteria, in bronchia ad pulmonem uſque non diviſa, ut ſuus cuivis capiti pulmo & trachea fuerit, organaque loquelæ & reſpirationis hucuſque diſtincta.

Pericardium capacius erat & aqua vacuum.

Cor unicum, mole aliquanto majus, conſiſtentia firmius, & figura planius: duo cordis ventriculi, totidem auriculæ, foramen ovale egregium.

Vaſa ex corde prodeuntia, arterioſa & venoſa, paulo capaciora, ceterum naturalia. Tres ex arcu aortæ trunci carotidum & ſubclaviarum, horum & venarum diviſiones mala fortuna abſciſſas proſequi non licuit.

Thymus cuivis collo ſuus, ſua cuique glandula thyroidea.

Spinæ dorſi duæ, collis continuæ, ſuperius remotiores, deſcendendo autem magis magisque ad ſe invicem accedentes, ut trianguli ſpeciem præ ſe ferrent, latioremque corporis truncum facerent, tandem in unum os ſacrum abeuntes. Dextra ſpina plexibus brachiali & crurali dextris proſpiciebat, emiſſis ex collo, ſuperiori dorſo, ut & ex lumbis evidentibus nervis, ſiniſtra ſiniſtris plexibus providebat. Duæ in ſiniſtra ſpina fracturæ, vel vertebrarum potius dehiſcentiæ, altera pollicis, exeunte medulla, altera aliquot ſaltem linearum;

Q 5 unica

unica dextræ ſpinæ fractura, a rudiori ut videtur obſtetricis tractione.

Hiſce ſpinarum fracturis mortem fœtus deberi dubium non eſt.

Suum cuivis capiti cerebrum & cerebellum naturale, niſi quod dexter dextri capitis & ſiniſter ſiniſtri lobi paulo majores & profundiores forent, lobis oppoſitis adjacentium laterum compreſſione forte minoribus factis.

Sic ſuum cuivis capiti diſtinctum ſyſtema nervorum ad os ſacrum uſque, & in ipſo forte quod intactum relictum eſt oſſe ſacro.

Non pauca certe hic anatomen vaſorum præſertim & nervorum, me dolente, deſiderantur, hanc autem pleniorem reddere vetuerunt, fœtus in ſpiritu vini ſervandi deformationis metus, interruptus ſæpe labor, adſtantium turba omnia ſimul luſtrare aventium ſ. ſ.

Monſtroſi fœtus formatio effigiei trinitatis trium capitum forma deberi a multis dicitur, quam mater multoties videndam habuit, huicque effigiei non abſimiles dicuntur fœtus facies. Sed de hiſce & ſimilibus nihil plane reſciſcit mater, nunquam per totam graviditatem metu vel alio modo, ut fatetur, percuſſa, vel fœtus polycephali idea affecta.

An tot ſenſus quot capita futuri ſint, ſi in vivis manſiſſet fœtus biceps?

Cere-

Cerebrum cuivis capiti ſuum, ſua cuique diſtincta ſpinalis medulla, diverſæ forſan in ultimis fabricæ annuere videntur: abnuere autem una eademque chylo & aimatopojeſis, ut & circulatio ſanguinis.

An ſimultanea reſpiratio, cum tamen ſuus cuique capiti pulmo fuerit & aſpera materia? Videtur. Unica enim pectoris crates iisdem regenda muſculis, unicum diaphragma & ſimplices muſculi abdominales, una quoque & eadem circulatio ſanguinis ex corde per pulmones.

An diſtincta loquela? Poſſibilis. Diſtincta enim ejus organa.

An dextrum caput dextro corporis lateri, ſiniſtrum ſiniſtro imperaſſet? Videtur. Duplex enim ſpina ſui quæque lateris brachio & cruri emiſſis nervis proſpiciens.

An ingens hepatis moles ad plurimam bilem pro uberiori, ratione duorum ventriculorum, chylopojeſi? Videtur.

An fames & appetitus in duplicibus ventriculis varii? An mors utrique capiti ſimultanea futura fuiſſet? An frequentes fœtus in oppoſitis ſimul ventris regionibus motus, ut gemellis mos eſt, aliquid arguunt? An aliquid partus, ut gemellis ſolenne non plane nonimeſtris, narrante matre? An duo baptiſmata? Hancce qualemcunque obſervationem Actis helveticis inſerere animus eſt. Superſunt nonnullæ, quas praxis hoc anno ſuppeditavit obſervatiunculæ.

1°. Quovis

1°. Quovis vere a quadriennio hæmorrhagiam ℥xij ad minimum ex labio inferiori experitur venator noſtras, abſque vel minimo vulneris vel ulceris vel rupturæ vaſculi indicio.

2°. Febris octana intermittens, quovis nimirum die lunæ mane rediens, frigus, calor, ſudor, paroxyſmum ut vulgo perficiebant, ſuperatis quinque inſultibus. Emeticum exhibui, rediit paroxyſmus die Jovis, in integrum poſtea fugatus, in puero 14. annorum in orphanotrophio noſtro.

3°. Aneuryſma aortæ ex corde exeuntis ℔. j. ad minimum capax. Phthiſis pulmonalis ejusque lethalis cauſa, dextro pulmone compreſſo, in viro quodam quadragenario.

4°. Tres inſultus apoplecticos expertus ſexagenario major ſubſequente leviori motus impotentia, ter curatus eſt, quartum inſultum ante octiduum paſſus eſt, pediſſequa dextri lateris hemiplegia: redit indies motus, ut pede uti manuque poſſit, ablato interim plane ſenſu totius, a capite ad calcem, lateris, eoque nec aſperrimis frictionibus, nec acicularum punctnris, nec igne revocando.

Vale Vir Illuſtriſſime, Excellentiſſime, & favere perge.

Montbelgardi die 23. Octobris 1765.

239.

CALDANIUS.

Ne mireris; quæſo Vir præſtantiſſime, ſi Te per epiſtolas adeo bene longas. In rebus dubiis ſummorum Virorum conſilium quærendum eſt ac votum. Poſtremum hoc, cujus naturæ ſit, habebis ad calcem epiſtolæ. Oro itaque, ut curis tuis graviſſimis brevi temporis momento valedicas.

Nobilis mulier annor. 34. habitus corporis gracilis, decem & novem menſium ſpatio ſcirrhum immobilem gerebat in utraque mamma. Tumoribus citiſſime ad ſummam duritiem perductis, præſertim ſiniſtro, brachium hujus lateris fere ſine motu extiterat. Cutis omnis, quæ anterius & ad latera caveam thoracis oſſeam circumveſtit, dura erat, aſpera, exuſta, ſquammis & maculis varii coloris interſperſa, & adeo contracta, ut caput & collum ægræ antrorſum eſſent inclinata, quaſi rachitide laboraret; utramque mammæ areolam, præſertim vero ſiniſtram, cruſta contegebat cinereo obſcura, ex qua interdum albeſcentis puris, aut dilute flavi, guttula una vel altera profluebat. Noctes ducebat inſomnes: ſicca tuſſi, quæ interdum vomitum, interdum conatus ad vomendum movebat, ſeptem abhinc menſibus conflictabatur, & periodice per novem menſium ſpatium doloribus rheumaticis acerbiſſimis, qui inſtantibus menſibus ægram in vitæ diſ-

crimen

crimen adducebant, quosque ex intempeſtivo frigidioris aëris appulſu ortos fuiſſe fatebantur omnes. Febris, circa veſperas recrudeſcens carnium conſumptionem ſecum attulerat, ut maraſmo affecta videretur. Tumor indolens ad lienem erat ſatis conſpicuus.

In hoc ſtatu ægram inveni, cum ad eam vocatus fui, ſimul cum docto Medico amico meo. Dirus morbus nos perterrefecit: ſed cum auxilium a nobis enixe poſtularet, propoſuimus diætam lacteam, ut ſaltem rapidiſſimos morbi progreſſus aliqua ratione impedire niteremur: monentes interim, cum extremis morbis extrema remedia conveniant, non eſſe omnino negligendam cicutam, quam periculoſam & lethalem ordinarii ejus Medici cenſebant; verum nolle nos proprio marte cicutam exhibere, niſi prius illuſtris Störckii conſilium ſuper hac re expeteretur. Interim cum ad Störckium litteras miſeram. cœpit ægra die 13. Julii lacte aſinino uti, ad doſim unciarum 35. ſingulo die. Nondum menſis præterierat, cum tuſſis & febris fere omnino diſparuerat: at cum Störckius Vindobonæ non eſſet, & ægra urgeret quotidie, ut cicutam præſcriberemus, extractum fluidum, quod melle magnam partem conſtabat cum pulvere Chinæchinæ in bolum effictum, ad doſim grani unius per quinque dies aſſumpſit: inde grana duo per totidem dies, & ſic per gradus doſim augendo, ſpatio dierum quindecim, quatuor grana ſingulo die deglutivit. Acceperunt tunc Störckii epiſtolas, & ſimul extractum

ab

ab eo paratum: ſex grana auctoris conſilio, duo nempe ſingulis octo horis, propinata fuere; & poſt aliquot dies octo grana ſumpſit: uno verbo a die Auguſti decima uſque ad vigeſimam Septembris grana cicutæ ducenta & viginti quatuor abſumta ſunt. Effectus mox enarro.

Tuſſis & febris ſiluerunt penitus: brachio propria mobilitas acceſſit: ſquammæ & cruſtæ ſponte deciderunt: ſub cruſta ſiniſtra leviſſima exulceratio aderat, quæ acus craſſitiem vix æquabat, atque ex ea interdum optimi puris guttula una vel altera manabat, interdum ſanguinis; non areola, non papilla introtracta: ſub cruſta mammæ dextræ omnia ſecundum naturam ſe habebant: dexter tumor non parum mollior erat, & etiam ſiniſter, præcipue ſuperius & verſus axillam: corpuſcula intra tumores varia & mobilia percipiebantur: cutis laxata erat ita, ut ægra erecto capite incederet; noctes admodum tranquillæ; optimus appetitus; labra rubeſcentia; lætus faciei color; animus hilaris; virium robur acceſſerant; pulſus fortes & æquales; minori conſumptione ſe laborare fatebatur, propterea quod ornamentum illud, quod thorax muliebris dicitur, non ea ratione conſtringi poſſet ut antea. Tumor lienis explorantibus digitis minor apparebat. Criſes erant interdum urinæ copioſæ, non ſine aliquibus contentis gravibus, albeſcentibus; potior autem criſis ſudor erat, qui, ſub cicuta uſa, ſingulo die manabat.

Hæc

Hæc omnibus conſtant, qui aut amicitia, aut affinitate, nobili ægræ conjuncti erant; quique profecto non ſunt pauci. Tantus autem inerat illi melioris valetudinis ſenſus intimus; tantaque integræ & perfectæ curationis ſpes, ut die 26. Auguſti nobiliſſimæ matronæ Venetæ, ejus materteræ, ut ex ejus litteris conſtat, quas poſſideo, apertiſſime ſcribat: *Io continuo a migliorare, e ſpero in dio di rimettermi intieramente:* tum & alia epiſtola, die decima ſeptima Septembris data, eidem matronæ inſcripta hæc habeat: *La mia ſalute, grazia a Iddio, va ſemper piu migliorando.*

Die Septembris decima nona ægram reliqui in eo ſtatu, quem paulo ante deſcripſi, & Patavium me traduxi, inde Venetias: at cum ægra menſtruorum ſuppreſſione ex duobus jam menſibus laboraret, & interdum ad jugulum globus hyſtericus moleſtiam afferret, erat quippe hyſtericis affectionibus obnoxia, antequam eam desererem monui, ut ſi forte menſtrua non fluerent, & pulſus manerent robuſti, & vaſa plena quemadmodum erant, ſanguinis miſſio in pede celebraretur; & juſſi, ut frigidiuſculum aërem ſollicite vitaret, ne rheumaticis doloribus acerbiſſimis iterum torqueretur, aut febris de novo ingrueret: & demum ut diætam conſuetam rigide ſervaret. Erant autem illi pro cibo quotidiano, poſtremis temporibus, 24. unciæ lactis aſinini quadripartitis vicibus ſumendæ: pulmentum ex dimidia uncia ferculi Saxoniæ pulli juſculo incocti, quod per quatuor dies religioſe ſumebat; quinta die oryzam, deinde

iterum

iterum ferculum, & ſic porro: tantum decem antea diebus ad fortem appetitum moderandum cupediæ nonnullæ ex herbis & lacte paratæ, exigua tamen copia, illi concedebantur, & quidem non ſine notabili virium inſtauratione.

Die igitur decima nona Septembris Patavium veni, & vigeſima circa veſperam, nobilis ægra in febrem incidit: quo autem pacto morbus ingruerit, & ægram jugulaverit, conſtat ex hiſtoria, quam ab ordinario ejus Medico accepi, quamque, omni prorſus fide, ex italico ſermone in latinum verto.

Hiſtoria autem hæc eſt:

De vigeſima Septembris ad ægram mane acceſſi, quam inveni ut reliquiſti. In prandio uſa eſt conſueto pulmento, tum & notis cupediis. Hora vigeſima prima ſpiritu præter morem dejecta, lecto ſe commiſit, ut facere conſueverat. Poſt horam de ſtratis conſurrexit, & in ſua ſedecula ſedit, quæ ad ſiniſtras, ut Te non latet, feneſtram ſtatim habet: erant autem recluſæ feneſtræ omnes, ut ex nobili Comite fratre ſuo accepi, etiamſi procelloſa dies frigidorum ventorum vi agitaretur. Veſperi eam ſedentem inveni. Explorati pulſus febre non modica eam laborare ſignificabant. Interrogata narravit ad brachium ſiniſtrum & dorſum dolore ſe torqueri. Fomenta præſcripſi, & imperavi, ut a cicuta & lacte abſtineret. Hora decima quarta alterius diei iterum ad ægram acceſſi, cui eadem febris non parum percrebuerat: tumen-

tes erant pulſus ac duri; arida erat lingua, & de vi doloris eo magis conquerebatur. Dolentem locum perſcrutatus levem intumeſcentiam ſupra cucullarem muſculum a ſiniſtris obſervavi, maculis dilute rubris hic illic notatum, quæ vix digito preſſæ alborem induebant, momento autem poſt priſtinum colorem recuperabant. Placuit intumeſcentiam hanc phlogoſim eryſipelatodem appellare, adeoque fotus in uſum traduxi ex decoctione florum Sambuci & Verbaſci. Interim ægra internum etiam prurientem ſenſum ad uteri regionem lamentabatur, & cum per hæc tempora fluere debuiſſent menſtrua, ſiniſtram ſaphenam incidi curavi, ex qua quatuor unciæ ſanguinis eductæ ſunt. Harum duas vaſe excepi; reliquas non item, quæ cum aqua calida commixtæ inuſitatam prorſus ſeparationem fecerunt. Eas quas vaſe exceperam in quatuor partes diviſi. Uni oleum tartari per deliquium inſtillavi, neque ulla mutatio facta eſt: alteri ſyrupum violarum, neque colores induit, qui acidorum proprii ſunt: tertiæ ſpiritum vitrioli, cum quo ebullire ſtatim cœpit, & paulo poſt nigricans ac valde tenax ſedimentum ad fundum vaſis dejecit: quarta demum ſibi relicta albam & polypoſam, ut ajunt, concretionem præ ſe tulit. Circa meridiem febris minus urgebat; dolor autem vagari adeo cœpit, ut uſque ad ſcapulas interdum perveniret. Panem juſculo incoctum in prandio ſumpſit, & aqua Nuceriana fuit loco potus. Poſt prandium ſudavit; inde febris & dolor paullatim miteſcere cœperunt; lingua vero mollis facta eſt atque humida. Circa

veſperam

veſperam nova febris ingruit: dolor ſupinum decubitum vetabat, & ægra a laterali decubitu cavebat, ne tumores comprimeret. Perſeverabat ſudor; digitis explorantibus cedebant pulſus, & de univerſali languore queritabatur, ad quem tollendum juſcula & ova ſorbilia interdum propinata fuere. Nox irrequieta fuit, ſuſpiriis frequenter interrupta, ſiti, angori, & frigidis ſudoribus conſociata. Undecima hora diei poſteræ formicans erat pulſus, ſublimis & anheloſa reſpiratio; ſudor frigidus; & inanibus egerendi conatibus vexabatur. Hora duodecima ſopore correpta eſt: decima quinta pacatus erat animus, & clyſter ex lacte & ſaccharo alvum movit: vires non deerant; quippe ad alvum deponendam e lecto ſurrexit; & fæces emiſit nonnullas duriſſimas & vario flavas, quas iterum circa meridiem, etſi parcius, dejecit, eoque tempore melius ſe habere videbatur. Hora decima nona bolum præſcripſi ex magiſterio Chinæchinæ ad doſim granorum quinque cum ſyrupo abſynthii, quem ſumeret ſingulis horis. Poſt prandium omnia pejus ſe habebant; nocte ingruente ſæviebant ſymptomata: circa nonam ejusdem noctis iterum miteſcebant omnia, ut undecima bene ſe habere fateretur: alvum iterum depoſuit: dolor omnino ſiluit, & urinæ, quæ ante parcæ admodum erant & crudæ, turbidæ factæ ſunt. Hora duodecima cutis fuit arida; naſus, aures, manus, pedesque frigidi erant, pulſus vero concentrati. Animum quiete laxare cupiens rogavit, ut ſola ſibi relinqueretur: ſopore tunc correpta, nova febris ingruit manifeſtiſſime: circa

R 2 meridiem

meridiem febris augebatur, & ſymptomata recrudeſcebant; atque ita totam tranſegit diem noctemque: Hora noctis octava Laudanum liquidum Sydenhamii (*ignoratur doſis*) hauſit: inde quies conſecuta eſt; ut hora duodecima hilaris eſſet, & melius ſe haberet, propterea quod & febris & ſymptomata omnia mitiora erant; at hora 13. diei ſequentis, nempe quartæ, nova febris eodem omnino apparatu ingruit, quo anteacta die invaſerat: omnia circa meridiem eadem minabantur. Vigeſima prima atroci convulſione correpta eſt: hiante ore animam agere videbatur. Singultus, ſtrabiſmus, reſpiratio ſuffocativa, pulſus magnopere contracti acceſſerunt; quæ omnia poſt horæ ſpatium ſiluerunt: interrogata tunc ægra, quomodo ſe gereret, de angore & fame conqueſta eſt. Ad vires inſtaurandas cordialem mixturam præſcripſi, & paulo poſt granum unum Laudani de *Phebourre* deglutiendum dedi: rediit paroxyſmus convulſivus, qui altero grano Laudani ſedari non potuit: paroxyſmi ſibi ſuccedebant ferme abſque temporis intervallo. Ita circa horam noctis ſecundam die Martis 24. Septembris, nempe vix quarta die morbi exacta, infelix ægra, omni niſu clamitans ſe neque viſu amplius gaudere, neque auditu, animamque illi deficere, ſtatim periit.

Animadvertendum eſt, quod toto hoc morbi decurſu mente valuit, neque de dolore ad tumores conqueſta unquam eſt, etiamſi hoc ſæpius de illa ſim ſciſcitatus: poſt mortem circa minimam areolæ ſiniſtræ exulcerationem denſi ſanguinis ali-

quot

quot guttulæ extabant. Ad hepatis regionem tenſio notabilis aderat; cetera ſecundum naturam ſe habebant : forte cadaveris ſectio facem aliquam prætuliſſet; ſed noluerunt Parentes cadaver diſſecari.

Quæritur an ex ſcirrhis obierit, & an cicuta mortem tam promptam attulerit : enimvero ſi cicuta ita pernicioſa eſt, certe a remediorum cenſu eſt ableganda; ſin minus, cur popularem errorem fovere, adeoque humano generi id damnum inferre velis, ut ab ejus uſu reformidet, ſi quando accidat ut ſalutaris eſſe poſſet? Mihi hiſtoriam novi morbi conſideranti viſa eſt febris intermittens ex genere earum, quæ ſemitertianæ, ſeu græco nomine hemitritæi dicuntur.

Si quæſtionibus iſtiusmodi liberaliter reſpondebis, gratum facies immo gratiſſimum : Vale, Vir præſtantiſſime, meque ut benigne ſoles, ama.

Dabam Patav. die 26. Octobris 1765.

240.

JANUS PLANCUS.

Superioribus diebus ope Morgagni noſtri accepi poſteriores libros tuos de Phyſiologia Tomum ſcilicet VI. & VII. eosque aliquanto ſerius, quia oblitus eras ſcribere ad Morgagnum, cui eos mittere deberet, neque in frontiſpicio, uti ſolebas, nomen meum appoſueras, ſed hoc parum refert.

Gratias Tibi habeo multas, quod mihi miſeris dono libros iſtos tuos tanta doctrina ex eruditione refertos, quas Tibi referre nunquam par ero, at gratus animus Tibi pro inſigni humanitate erga me tua ſufficiet. Video mei in ipſis meminiſſe occaſione molæ, quam diſſecui, pro quo novas gratias Tibi profiteor.

Variolarum epidemia modo heic viget, ſed omnes, quos curo, convaleſcunt; plusquam decem pueros nobiles curavi, & omnes, licet aliqui confluentibus laborarint, convaluerunt. Prodiit nuper Faventiæ opuſculum cujusdam Baccarini Medici Faventini, qui Florentiæ medicinæ operam dedit, in qua urbe modo auctoritate Bottæ Tribuni militaris bis in anno inoculatio publice fit in noſocomio ad eam deſtinato, in quo libro contendit inoculationem modo palmam ferre; tamen quum in appendice libri ſui rationes Raſti Chirurgi (Medici) Lugdunenſis adducat, qui obſervat modo Londini plus varioloſos perire quotannis poſt introductam inoculationem, quam antea, quod & modo Florentiæ contingit, ubi, ut ſerventur octoginta circiter mendici, viva ſemper ſingulis annis ſervatur epidemia per urbem, ubi perpauci, vel fere nulli pereunt, ſi bene curentur. Quare vel lex ferenda eſſet, ut quisque poſt datum aliquod tempus inocularetur, vel tollenda omnino eſſet inoculatio iſta partialis, & continua, quæ vivam ſervat per urbes epidemiam, ex qua permulti pereunt intempeſtive, qui ſervato tempore opportuno non perirent. Sed fortaſſe inoculatio omnino

nino vexabitur ubique, quoniam inoculati de recidiva non ſunt tuti & immunes; nam Domina de Bufflers Dynaſta modo Lutetiæ Pariſinorum agit animam ex variolis, quæ duobus abhinc annis fuerat inoculata, ubi & ibi paulo antea adoleſcens alius animam efflavit, qui anno elapſo inoculatus quoque fuerat a Gatto illo Etruſco, qui modo alios omnes inoculare recuſat, qui primum inoculationis patronus, & vindex maximus fuerat.

Vale. Datis Arimino Nonis Novembr. anno cIↃ IↃCC LXV.

241.

WOLFIUS.

Decimo tertio Novembris die litteras tuas, vigeſimo ſeptimo die Septembris exaratas, accepi, Vir Perilluſtris, & nova in illis ſolitæ tuæ humanitatis & benevolentiæ erga me indicia deprehendi. Si forte in iis quæ ratiociniis eruuntur, erraverim, haud dedecori id mihi fore puto; modo animus ſemper fuerit ab hypotheſibus alienus, veritatemque ipſam perſequendi cupidus. Eam vero laudem ambio, quod ſolidiſſimam tuam doctrinam, Teque Perilluſtrem ejus Autorem juſta mentis veneratione colere, atque omnia, quæ in ſcientiis phyſicis Tibi, Vir Perilluſtris, debeo, quæ tanta ſunt! accurate æſtimare, & grato animo agnoſcere ſciam.

Formationem vaſorum in ovo, ſicuti totum generationis negotium rem magni momenti &

altioris indaginis omnino eſſe intelligo. Quare primum novam operis tui editionem exſpectabo, novaque experimenta legam, deinde tua veſtigia premens, in ipſa natura ſcrutanda porro, quid humeri valeant, experiar.

Vale, Vir Perilluſtris, meque tuo favore, ut ſoles, ornare perge.

Berolini d. 16. Novembr. 1765.

242.

JANUS PLANCUS.

Ope Somiſii Taurinenſis amici noſtri accepi humaniſſimas litteras tuas pridie Kalendas præſentis menſis datas, ex quibus intelligo, Cotunnium multo gravius a Te diſſidere, quam Tu ab eo diſſideas. Cotunnius aſiaticus eſt in dicendo, quare multitudo verborum obumbrat diſſidium ſuum a Te. Sed Tu contra paucis & aperte diſſides ab eo in re valde manifeſta. Ipſe ad me ſcripſit Te rogaſſe, ut ei manifeſtares, quisquam eſſet *Manſaſorus* ille, ſi bene legi litteras tuas, qui gravius ab eo diſſidet quam Tu. Sed hæc mittamus.

Probe ſcio, Theodorum Tronchinum virum eſſe doctiſſimum, ſed, ut inoculator non eſt neceſſe, ut ſit talis, ſi Byzantii vel viliſſimæ mulierculæ artem illam inoculatoriam exerceant. Tu denuo, Optime Hallere, inconſulte cauſam, quæ mere eſt aliena, facis tuam. Ego nunquam circumfo-

cumforaneos vocavi patronos inoculationis, ſed tantum eos, qui practice eam exercent, & indiſcriminatim eam cuique ſuadent, ut pecuniam ab iis excutiant. Inoculationem laudo in genere, ſed prudentis Medici eſſe dico, nemini eam ſuadere; quum & Tu in hac tua epiſtola ad me fatearis infallibilem non credere inoculationem, neque neges ex ejus uſu quempiam periiſſe. Si aliqui igitur ex ea pereunt, ut Tu fateris, poterunt & Magnatum filii perire. Fac periiſſe Parmæ, & Placentiæ Ducis filium. Quanta infamia inde orta non fuiſſet Medico illi Inoculatori. Quare van Swietenii, & Senaci prudentiam laudo, qui in regia prole ſibi commiſſa nunquam ſuadendum cenſuerunt.

Vale. Datis Ariminis a. d. XII. Kal. Jan. A. CIↃ IↃCC LXVI.

P. S. Curabo ope Morgagni, ut quamprimum cum opuſculo quodam meo habeas & Baccarini libellum de inoculatione variolarum, qui tamen in eo libro nihil aliud recoquit, niſi quæ Manettus Præceptor ſuus dixerat. Tantum addit ſententiam illam Raſti Lugdunenſis, qui noſocomia perpetua Londini pro inoculatione non probat, ut ego quoque ea non probo Florentiæ, quæ perpetuo, & inopportune epidemiam illam nutrire videntur. Iterum vale.

243.

RAIMUNDUS COCCHIUS.

Hodie fama tulit, jam prodiiſſe octavum poſtremumque Phyſiologiæ tuæ Tomum, plura feruntur perutilia expectata nova Anat. de generatione & nutritione. Quodque maxime placet, ajunt, Te deſeruiſſe ſententiam theologicam de fœtu in omnib. partib. præformato, quam pius Bonetus probare contendit. Si verum eſt, Cl. me. Vir, ego ſummopere gaudeo. Mirabar magnos Viros non judicaſſe ea argumenta, quæ ad rem faciunt, demonſtrare tantum, aliquid jam eſſe in ovario conceptionis tempore, quod ſemen occurrens mutare valet, quodcunque ſit ſimplex & unum, neque demonſtrare, id non potuiſſe aliquando formari (in embryonem ſi placet), de cujus *antiquitate in ſæcula ſæculorum* quærere vanum eſt, donec nil novimus amplius, nam poſſet eſſe quid recentiſſimum, dummodo ſit antiquius conceptione.

Hunc Tomum, ſi licet Magne Vir, peto a Te, da precor optatum munus amico & diſcipulo. Vel jube, ut Tibi mittam, ſi quid eſt ex hoc terrarum angulo quod optes, herbas, lapides, ſemina aut alia hujusmodi, namque libri novi rariſſimi prodeunt legendi. Dat mihi animum certe humanitas tua ſingularis illa, qua in epiſtola tua monſtraſti viam mihi tua munera accipiendi. Potes igitur Venetias mittere — à Monſieur de Marſili Pr. P. à Padoüe. Veneziæ S. Severo.

Heri

Heri vidi aquæductum Cotunnii in oſſe temporali naturali oſſis defectu in medio ſui tractu interruptum a ſinu prægrandi venæ jugularis, adeo ut ſeta qer cochleam immiſſa mox ex oſſe prodiret a latere ſinus ſulci forma excavati, & per foramen directe oppoſitum eadem ſeta uno tractu eodemque denuo ſe immitteret, donec in inferiori latere ſub angulo de more ex oſſe prodiret, decurſum aquæductus indicans, eo medio tractu per meningis tunicas tranſiiſſe deficiente oſſe, quæ conſtantia organi notanda eſt. Namque ſemper adſunt ambo aquæductus aperti, etſi quandoque ſint anguſti, adeo ut ſetam non penitus admittant quamque in oſſe macerati purgato perioſtium exciderit. Vale, Me. Vir, & me ut ſoles ama &c.

Si reſcribis, cave ne *Medicum* inſcribas. Cocchius alter eſt Medicus, non ego. Nam tabellariorum inſcitia parum abfuit, quin litteras tuas non acciperem.

P. S. Nuper ruina collis in agro Aretino oſtendit integrum ſceleton foſſile elephantis multa ſub terra ſepulti.

244.

LUDOVICUS PALLIANI.

Rebus in arduis, Vir humaniſſime, ad celebriores doctrina Viros, quemadmodum es Tu, confugere quisquis conſuevit. Caſus hic vertitur, neque

neque per ſe obvius, neque captu facillimus. Homo quidem florentis ætatis, ſolidæ fibræ, ſanique temperamenti, uxorem duxit pluribus jam abhinc menſibus nobilem, ac valde venuſtam puellam, cujus temperamentum moderate ſanguineum, conſtitutio corporis mollis, fibra ſummopere ſenſilis, atque irritabilis. Suſcepta jam centies inter eos maritalis copula, nunquam potuit hucuſque expleri, licet vario in ſitu, varioque artificio tentata. Statim ac in vulvæ labia penis intrudebatur, tanto adeoque acuto puella corripiebatur dolore, ut ſponſus amantiſſimus ejulatu, & lacrymis dilectæ uxoris ſemper a ſuſcepto vix opere, illico prorſus ceſſare coactus fuerit, grave aliquod pertimeſcens malum, ſi res ulterius adduceretur. Ægre id ferentes præſtantiſſimi conjuges plura egerunt, ut hoc quodcunque matrimonialis conjunctionis impedimentum dirimeretur, & aliqua hinc optatæ prolis ſpes affulgeret, ſed omnia incaſſum: medicæ tandem puella ſe ſubjecit explorationi; nec inde, ut arbitror, quidquam apparuit, in quo ingentis ejusmodi doloris ratio ſtatuenda certo ſit. Partes generationi dicatæ tum externæ cum internæ, quantum oculis percipi datum fuerit, naturales erant omnino. Ad vaginæ orificium valida apparebat membrana, hymen apud Anatomicos. Hæc ad inſtar ſemilunaris valvulæ vaginam eamdem apprime claudebat, unico ſuperiori in parte paulo infra uretram relicto foramine, quod ſcriptorium calamum non difficulter admittebat, ad trium pollicum profunditatem, & ultra. Id tantum, quod in obſervando tanquam magis peculiare

liare adnotatum venit, fuere nonnulla rubra granula ſuperiori ex parte prope urethræ orificium juncta invicem ad inſtar ſpongioſæ carnis, & cannabis parvum ſemen mole non excedentia. De illorum ſenſu nil tuto definiri potuit; aſſerebat enim laudata puella, ingentem ſibi dolorem eis omnibus in partibus concitari,a quolibet vel leviſſimo etiam attactu. Ex quo factum eſt, ut ulteriori obſervationi nullus patuerit aditus. Ingruente primo catameniorum tempore, nobilis adoleſcentula vexari cœpit moleſto quodam ſenſu in pudendis, & inſueto veluti pondere, quibus pariter laborabat iisdem fluentibus catameniis, & etiam jam ceſſatis. Additur, quod ipſa difficultatem aliquam interdum paſſa eſt in excernenda urina, quæ licet limpida ut plurimum & abſque ullo prorſus ſedimento, non pleno tamen continuatoque flumine ſemper extrudebatur; ſed iteratis aliquando vicibus, ac in modum leviſſimæ veluti ſtranguriæ. Hiſce omnibus rite conſideratis, non video, Celeberrime Vir, quid tuto decerni poſſit circa indicatum conjugalis congreſſus impedimentum, ex acerrimo ſuperveniente in mulieribus partibus dolore. Ego ſane unde obſtaculum repetam, neſcio, niſi illud ſtatuam in admodum ſenſili, ac firma deſcriptæ ſuperius membranæ compage. Cæterum ſi ita ſe res habeat, nec erit perenne, nec impoſſibile, ut dirimatur; dic Tu quæſo, Vir doctiſſime, quid ſentias.

Lucernam potes mittere tomos magni tui operis ad D. Joſephum Daneſi apud apoſtolicum nuntium.

Parce

Parce interim, ſi confidenter nimis Tecum utar, & diu vale.

Dabam Romæ d. n. 5. Januarii 1766.

245.

MORGAGNUS.

Quanto & longius, & difficilius erat ſuſceptum opus, tanto magis Tibi, Illuſtriſſime Vir, gratulor abſolviſſe. Ultimum Tomum ſtatim ac bibliopegus compegerit, quam libenter, ut Tua ſolitus ſum, perlegam. Interea gratias ago liberalitati, & benevolentiæ tuæ magnas, quod miſeris, multo autem majores, quod, folia incompacta diducens, in eum locum indicis auctorum forte inciderim, ubi benigne mea recenſens ſcripta, mihi iterum diuturniorem vitam amiciſſime optas. Cui tuo voto, ante hos XV. annos, ſi recte memini, in adnot. ad Boerhaavii methodum de ſtudiis medicis humaniſſime edito, felix adeo exitus reſpondit, ut ſuperſtes adhuc ſim, & ſoſpes quoque, ſi hæreditarium cruris modo unius, modo alterius excipias incommodum, quod plerumque tamen eſt leve. Faxit Deus, ut ſine ullo vel leviſſimo commodo, vitam multo hac mea longiorem ducas, ut dignus es, & boni omnes mecum optant.

Vale igitur, Vir Illuſtriſſime, & communia ſtudia magis, magisque ut facis, ornare perge.

Dabam Patavii die 5. Maji 1766.

246.

246.

CALDANIUS.

Accepi hoc ipſo die Tom. Phyſ. VIII. Opus, quod Deo dante ad terminum perductum fuiſſe vehementer gaudeo. Summas Tibi habeo gratias. Alterum exemplar, quod miſit Somiſius, Morgagno reddidi acerrimo adverſario noſtro. Cœpit ille hoc anno præſertim, ex publica ſede Te in omnibus redarguere, ut mihi malefaceret, qui Phyſiologiam tuam & publice & privatim doceo. Aperte monens, in prima lectione ſe id facere, ut adoleſcentes ab erroribus avertat, quos Italicus Profeſſor Patavii auditoribus inſtillabat, doctrinas ultramontanas tradendo, cum debuiſſet ab Italica ſchola, in qua profecit, neutiquam diſcedere, utpote quæ veriora docet, neque falſa ſyſtemata. Sibi in irridendo ſocio adjunxit Praxeos Profeſſorem, qui conviciis atque injuriis & Tibi, & mihi ex publica ſede maledicebat. Ego ſemper ſilui: ſed cum in privatis lectionibus decreverim, auditores meos de rebus phyſiologicis diſputare debere; ſemel atque iterum ea occaſione varias theſes publici juris feci (quod Patavinis Profeſſoribus nunquam in more fuit) in quibus & ſententias tuas amplectendas eſſe ſuadebam ſtrenuis rationibus, & ridiculis horum adverſariorum rationibus, iisque ab æquitate alienis, reſpondebam. Cum hæc viderint, ſiluerunt. An proximo anno iterum reſurgant videbimus.

Expecto

Expecto obſervationes amicorum tuorum circa nervos duræ matris ſatis exiguos, procedentes, ut ajunt, ex tertio ramo quinti paris, antequam ſphenoidis oſſis ovale foramen ſubeat. In Veneta ditione cadaverum partes huc illuc transferre eſt horrendum crimen; tanta eſt hominum quorundam ignorantia. Nunc attende, quæſo, ad rationem, ob quam nuper exiſtimavi, cor exteris muſculis majori irritabilitate potiri. Eam perpende, & ſtatim conſilium tuum redde, ut tandem aliquando edam reſponſionem le Catianam.

Muſculi voluntarii in vivo animali, aut recens mortuo, ſi in altero eorum extremo fiant liberi, velocius oſcillant & fortius, & ſtimulis promtius obediunt. Inteſtina & œſophagus muſculi ſunt quaſi penduli; inde fortaſſe eſt, quod cum corde certant in facili & diuturna irritabilitate. Cur tamen muſculi illi in primo caſu, & œſophagus atque inteſtina in altero ſunt irritabiliora? Ego ſic cenſeo: nempe quia neque reſiſtentias debent ſuperare, neque trahuntur in contrariam partem a muſculis antagoniſtis: ſed cor non habet muſculum antagoniſtam; neque in primo contractionis puncto reſiſtentias ſuperare debet: ergo. Hoc autem poſtremum ſic probo. Dum cor elongatur, ſanguinem intra propria cava non continet: ergo columna ſanguinis intra arterias contenti non eſt continua cum fundo ventriculorum: ſi non eſt continua, hæc columna in primo contractionis momento non reſiſtit cordi; ergo cor levi ſtimulo in contractionem cietur, unde major irrita-

irritabilitas. Cum antagoniſta careat, ejus fibræ ſunt minus diſtentæ, ergo elaſticitas minus agit, unde prævalet irritabilitas.

Has rationes excogitavi, easque illuſtravi: nolo autem eas edere, niſi Tu prius illas examinaveris. *Sograſſius* Patavinus Chirurgus orationem edidit, in qua renovavit experimenta Monroi atque Hunteri circa lymphatica lienis, eodem ſucceſſu, ut ait. *Biumus* Mediolanenſis obſervationes, ſeu ut melius dicam, paucas edidit diſſectiones anatomicas cadaverum morboſorum cum ſcholiis: niſi *Biumus* exemplar miſerit, quod mittere debuiſſet, cum auctoritatem tuam, ut decet, magni faciat, mittam ego cum diario Veneto aliisque opportuna occaſione.

Epiſtolarum mearum exempla ego non poſſideo: duæ priores poſſunt ſeparari a Tomo III. collectionis Lauſannenſis. Tertia extat in Excerpto Bernenſi anni, ni fallor, 1758. Quartum habes Tibi inſcriptum: reliqua pauca, quæ publici juris feci, extant in diario medico Veneto ſub nomine Dorilai; nomen eſt academicum Societ. Imper. Roboretanæ; & alia etiam extant cum litteris D. L. M. A. C. Vide an hæc ſufficiant pro Academia Londinenſ. & an poſſis ea ſeparare. Vale, Vir ſapientiſſime, & amicum ſummum in amicitia amare perge.

Dab. Patav. d. 9. Maji 1766.

247.

OTTOFRED. MÜLLER.

Prima planta videtur *Gypſophila ſaxifraga*, ſed in noſtra ſquama quatuor, ac corollæ petala emarginata, nec decumbens eſt ut Synonym. Ray. ſed erecta.

Vicia, num varietas *Craccæ?* facies totius plantæ glabra, folia lanceolato-linearia glabra, floſculi minores.

Quisnam hic *Ranunculus* totus hirtus?

Saponaria calycibus cylindricis: caulibus procumbentibus ſimplicibus, num ſola varietas *Ocymoidis?* Flores rari vix plures quam 3 --- 6. cum in *Ocym.* numeroſi, caulis ſimplex procumbens, minime dichotomus. Calyx viridis, ſcabriuſculus, cum in Ocym. rufus, villoſus. Habitus plantæ glaber, in Ocym. hirſutus. Floret verſus Solſtitium.

d. 9. Junii 1766.

248.

DE LA CHENAL.

Febre catarrhali, qua per aliquot tempus decubui, impeditus fui, quo minus citius ad ultimas tuas litteras reſponderem.

Mille-

Millefolii purpurei majoris unicum ſpecimen (quod poſſides) legi in M. Generoſo feſtinatione aliqua tum pro varietate vulgaris habens. Memini tamen me A°. 1764. in horto avunculi mei Dom. Jonquiere e regione noſodochii veſtri eandem ſpeciem obſervaſſe. Num vere diverſa ſit dubius adhuc hæreo. De Valeſiaco odorato idem Tecum ſentio, cum & nobis paſſim proveniat. Filaginem vulgarem tenuiſſ. fol. utique ſeparandam puto a minore repente C. B. foliis anguſtioribus, longioribus, florum glomerulis per caulem in axillis foliorum ſparſis conicis. Reliqua ex ipſis ſpeciminibus perſpicies. Utraque ſpecies nobis abunde provenit.

Conyzam capite nutante nunquam ipſe legi. In horto ſicco vero Hagenbachiano eandem cum hoc nomine plantam reperio, quam pro 1°. Buphthalmo in Enum. Helv. deſcripſiſti, diverſam a Bidente calyce 5. folio, foliolis latis, ovato ſubrotundis concavis, foliis ſub capitulis nullis, ſemine non cornuto &c.

Cum varii amici, & inprimis Cl. noſter Botanices Profeſſor urgeant, ut Floram Baſileenſem tandem perficiam, eo annitar, ut, ſi fieri poterit, intra anni ſpatium prodeat minime quidem perfecta. Quæ vero deficient una cum enumeratione fungorum in Supplemento tradam.

Plantas deſideratas cum nonnullis aliis propediem mittam, quibus & pro deſiderio tuo aliquot

diſſertationes meæ inaug. ſpecimina adjungam. Alia vice plura.

Vale interim Vir Illuſtriſſime & porro favore tuo amplectere.

Baſil. d. 26. Jul. 1766.

249.

FRANCISCUS DELLA GUTTA & CAMILLUS CORONA.

Quod Viris etiam de ſapientia bene meritiſſimis accidere perſæpe ſolet, ut nova ac in minimis repentia ingenia velut in maximas arbores irrepant, atque pulcherrimos fructus nimis infirmo impetant dente; id nos modo miſereamur ne magis, an erga Te ſeculi noſtri decus, & ornamentum conmiſſum eſſe iraſcamur, non ſatis intelligimus. Publicam non ita pridem heic Romæ in lucem exiit tyrunculi, ingenioſi quidem neque inter pares temere contemnendi, elucubratio, in qua, ſi Diis placet, in præſtantiſſima tua auſus eſt inventa dicere: ſua nimirum ſcurrilitate bonus adoleſcens contendit inprimis *corpus humanum ſuam originem a nervis habuiſſe, nervos poſtmodum in cordis motum, aliarumque partium etiam poſt animalis interitum influere.* Verum enimvero, ſiquidem jocâri vocabulis interdum liceat, nil præter maximam temeritatem auctoris nomen *Maximus* oſtendit, cetera præcocis ingenii fructus intempeſtivi ſunt. Huncce vero quum neque

neque reſpicere Tu quidem debeas, neque frugi ullus Tibi obloquentem patiatur audire, ſua ſatis confutavit temeritas. Quamobrem ſi de tui nominis, quod oraculi penes æqui æſtimatores inſtar eſt, vindiciis ageretur, vel nobis, qui ei in ſtudiis pares ſumus, ſuperſedendum foret, ſed quod, præter animadverſionem, hujusmodi exempla permitti non debeant, quæ ceteris initiatorum ordinem non egreſſis offendiculo eſſe poſſent, pares nos quidem arbitrati ſumus (tum & ipſe e re nata arbitrium feres, Vir Ampliſſime) pares, inquam, ut juvenis ingenio ferocientis audaciam coerceamus. Abſolutis igitur academicis exercitationibus, apologiam concordi animo exarare, atque magnifico tuo ſubinde nomine condecoratam publici juris facere conſtituimus. Conſilium ergo æqui bonique conſulas, efflagitamus; neque Tibi noſtram hanc libertatem diſplicituram penitus confidimus.

„ Eſt nobis voluiſſe ſatis. Nec munera parva
„ Reſpueris: etiam Phœbo gratiſſima dona
„ Cres tulit. "

His nos præmuniti conſiliis, Tibi noſtrum haudquaquam animum aperuiſſemus, non auſi hiſce noſtris nugis Te a maximis, graviſſimisque negotiis modo deturbare: verum dum tyrunculi noſtri commentis caſtigationes, Te duce, meditamur, difficultas obſervatur, cujus ſolutioni quum nos quidem impares ſenſerimus, ad Tui oraculum cogimur confugere. Scias igitur, ipſum, dum corporis originem a nervis repetendam autu-

mat, eam tenere viam, quam continuo dicemus: nervos ſcilicet celluloſa tela componi, hancque ab iisdem produci primum ſtatuit; ſingulas dein corporis partes in celluloſitatem reſolvit, atque inde univerſam hominis machinam nerveam olim fuiſſe inepte deducit. Ut hanc hypotheſin refutemus.

„ . . . . . . Tuis ex, Inclute, chartis,
„ Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant,
„ Omnia nos itidem depaſcimur aurea dicta,
„ Aurea perpetua ſemper digniſſima vita."

Quando autem de fibra muſculari ſermo incidit, ita adverſus Te (quamquam ſuis unice audacter niſus experimentis cerebroſis non omnem demonſtrationis vim ratiocinio tribuat) argumentatur: *Tendines*, inquit, *ex celluloſo textu conſtari Hallerus convenit, cur idem de muſculari fibra non dicendum, quandoquidem tendineæ fibræ cum carneis continuari Albinus aperte demonſtravit?* Cl. Scriptoris auctoritate, aliorumque non paucorum conſenſu conmoti, experimentis omnino deſtituti, quid reponendum certe neſcimus. Potuiſſemus equidem Mery opinionem, qua adjecto etiam experimento contrarium evincitur, in medium proferre, & pro ingeniorum tenuitate ulterius exornare; ſed quum huic Te in erudiſſimis Boerhaavii commentariis ad muſculorum actionem haud penitus adſtipulari, Teque ancipitem, donec exquiſitiſſimis experimentis confirmetur, hac de re nondum decidere videamus, protinus a propoſito noſtro deſiſtimus, Teque nobis neceſſario conſu-

conſulendum eſſe animadvertimus. Hanc forte provinciam, non dubitamus, quin, uti ſoles in reliquis, ita jam fueris perſequutus, ut nullus altercationibus locus ſupereſſe poſſit: at omnia tua aurea ſcripta habere ſors nobis minime contigit. Ineruditos igitur benignus edoce, juvenili noſtro hoc in auſu erige diffidentes, meticuloſis animum adde, atque eos nos eſſe exiſtimes, qui tua nedum ſenſa didicerimus, ſed (verbo omnis abſit adulatio) anticipationum etiam loco teneamus. Vive ergo, & publicæ hominum vitæ Te diu conſerva, Hallere digniſſime, & quos doctrinæ alumnos, nominis etiam tui ampliſſimi eſſe permitte addictiſſimos, ac obſequioſiſſimos cultores.

Romæ Idibus Sextilis MDCCLXVI.

250.

DE LA CHENAL.

Lætus accipio ex litteris tuis Vir Illuſtriſſime, conſilium meum Floram agri noſtri ante Opus tuum edendi Tibi haud diſplicere; utinam plus otii mihi ſupereſſet, quam quidem hactenus ei impendere potui. Lentius enim progreditur, neque ante finem anni ſequentis lucem conſpiciet. Nunc in graminibus ordinandis adhuc verſor, ubi quidem paſſim inextricabiles fere difficultates naſcuntur, tum in generibus, tum in ſpeciebus rite determinandis; cum enim opuſculum meum in gratiam præcipue tyronum conſcriptum eſſe debeat, oportet ut ubique notulas addam chara-

cteres breves ſed faciles continentes, quibus planta quævis a ſuis adfinibus atque congeneribus diſcerni queat. Sed hoc opus, hic labor eſt. Totus enim libellus ex proprio fere labore naſci debet, nemini fidens, quoad characteres genericos & ſpecificos. Plantæ tamen in univerſum juxta ſyſtema tuum diſtribuentur.

Carduum Acanthoidem nunquam legi nec vidi.

Neque Melampyrum cæruleum.

Neque Chamomillam romanam. Inodora apud nos vulgatiſſ. eſt.

Jaceam ciliatam floſc. omnibus androgynis via, quæ Befort ducit, legi tribus ab urbe noſtra horis. Abunde differt ab ea, quæ in Enum. Helv. pingitur: floſculis omnibus non ſexu tantum, ſed & magnitudine & ſtructura æqualibus, calycinis ſquamis tota lanceolata patente parte ciliatis, ut nigra inde capita evadant, cum in tranſalpina ſpecie nonniſi apice ciliati ſint. Folia etiam differunt, quæ in modo dicta ſpecie ab imo ad ſummum lata ſunt, & in ſuperiore parte quidem lata cordata baſi ſeſſilia, ovata, in altera vero circa imam caulis partem longe petiolata ſunt, reliqua quidem parte ſubſeſſilia, ita tamen ut ſemper ex anguſto principio procedant, ſuperiora ſenſim anguſtiora fiunt lanceolata, & tandem linearia, ſecus ac in altera &c.

Cum nomine Trifolii capitulo ſpumoſo aſpero majoris C. B. in H. S. in Hagenbach. nihil aliud adeſt, quam majus ſpecimen Trifolii fragiferi.

Tara-

Taraxaco criſpo careo & Hieracio rapifolio.

Sed aliam Crepis ſpeciem nuperrime reperi, hactenus a nemine, ut puto, obſervatam ad agrorum vinearumque margines extra portam Riehanam haud longe ab urbe copioſe, ſed cum pleraque ſpecimina jam exſiccata fuerint, Junio menſe jam florere videtur. Vix ex auctoribus eruo hanc ſpeciem, vere a reliquis helveticis diverſam calyce longis & rigidis ſurſum vergentibus pilis non capitatis hiſpido, ſquamis acceſſoriis perinde piloſis, linearibus, laxe verum calycem circumdantibus, fere ut in Hieracio calyce barbato. Flos parvus, utrinque pallide ſulfureus, ſemen anguſtum, ſtriatum, aſperum, ſtylo tenuiſſimo ſuperſtite, cui molliſſimus, ſimplex, brevis & valde fugax pappus inſidet, fere ut in Taraxaco vulgari. Caulis & folia ſimilibus pilis, minoribus tamen, hinc inde adſperſa ſunt. Cetera ut & habitus ad Crepim vulgatiſſimam foliis variis glabris ſatis accedunt.

Plantas ſiccas, quas heri miſi, brevi ut ſpero accipies.

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Baſil. d. 20. Auguſt. 1766.

251.

DE LA CHENAL.

Cum nuper ſicca ſaltem Filaginum duarum minorum, quas deſideraſti, quasque cum reliquis ſtirpibus accepiſſe Te ſpero, ſpecimina miſerim, in agros heri excurri extra portam Spaleam verſus Alſchweiler ſitos, ut recentes colligerem, hodieque in ſcatula muſco involutos ad Te miſi, recentiſſimam quidem illam tenuiſſimo folio, ſubaridam vero, minorem repentem C. B. ob ſicciſſimam & præcalidam tempeſtatem, cum nonniſi in agris lapidoſis ſiccis proveniat, altera vero humidos agros inhabitet, nullibi locis ſiccis occurrens. Ambæ ex vulgatioribus ſunt.

Sed & alias iſtis in agris hac occaſione legi ſtirpes hiſce multo rariores, Centunculum, Centaurium paluſtre ramoſiſſimum, Hypericum humifuſum, Myagrum ſiliqua longa C. B. Conyzam flore globoſo, Orobanchen ramoſam, Millefolium nobile, Blattariam luteam, Hyſſopifoliam jam emarcidam &c. novamque ni fallor helveticam civem raram ſtirpem, Eryſimum nempe, foliis ſubincanis, ſiliquis breviſſimis Hermann. Parad. Batav. 115. Vaill. Par. p. 51. Sinapim incanam Linn. Sp. pl. p. 934. n. 7. Folia radicalia in orbem ſparſa, pinnata, cinerea, mollique hirſutie ſubincana, pinnis primis exiguis confertis, retrorſum quaſi imbricatis, ſenſim majoribus, varie & anguloſe dentatis, ſine majorum pinnarum fere ſemper ſubrotundo,

rotundo, amplo, anguloſe ſecto. Extrema pinna ampliſſima. Nervus foliaceus eſt, hinc inde inter majores pinnas, minores emittens. Inferior pars hinc inde uno altero ſimili ſed minori folio inſtructus, ſuperne longe nudus, præter rara & exigua quædam folia elliptica, ſerrata, pariter incana. Caulis valde diffuſus & brachiatus, teres, aſper, glaucus, cubitalis, bi- & tripedalis. Calyx pallidus, foliolis erectis, concavis, ellipticis, deorſum parum gibbis, pilis frequentibus inprimis verſus apicem inſtructis. Petala ſulfurea, unguibus anguſtiſſimis longitudine calycis, erectis, bracteis ſubrotundis patentibus. Stamina ſæpiſſime 8. rarius 6. 4. majoribus longitudine fere petalorum, reliquis multo brevioribus. Antheræ flavæ, purpureo puncto in apice notatæ. Glandulæ ſeu tubercula 4. duo inter ſtamina majora & calycem, reliqua inter ſtamina breviora & germen. Germen ipſum intra florem hirſutum, ſtylo ſuo fere brevius & gracilius. Stylus craſſus, quaſi clavatus, ſtigmate capitato inſtructus, creſcente ſiliqua in ovatum loculum dilatatur, ſtriatum, durum, ab ipſa ſiliqua glabritie & figura facile diſtinguendum, unum vel duo ſemina continentem. Siliqua breviſſime petiolata, cauli adpreſſa, toroſa, parva, ſiliquis Sinapi rapifolio ſimilis præter tubam. Sed hæc melius deſcribentur, quando maturæ erunt ſiliquæ.

Videtur hæc planta ex ſemine adventitio enata eſſe, cum in nonnullis agris & ad eorum margines occurrat, in quibus præterito anno medica iſta Lucerne dicta ſatis fuit, cum Vaillantius eam ſimili

ſimili loco indicet. Optime tamen in ſolo noſtro ſe habet, cum tantus ſibi ejus ſit proventus, ut vix ac ne vix amplius deſtrui poſſit. Videtur biennis eſſe.

Carduum in Act. helv. pictum iterum ſuo loco legi, & confirmor a Michelfeldenſi tuberoſo plurimum diſcrepare.

Etiam Scabioſam mont. integro folio abunde collegi, unam ſemper eandemque, quam etiam in Vogeſi ſylvis reperi.

Vale, Vir Illuſtriſſime! porroque fave.

Dabam Baſil. d. 3. Sept. 1766.

252.

JACOBUS DICK.

En catalogum ſtirpium, quas itinera hujus æſtatis mihi dederunt.

Primum inſtitutum fuit 21. Julii in vallem Kienthal & ejus varias partes, Alpes Margovel, Hohkien, Sauſs, Rothhorn, Sulz, Glütſch, Egg, Lathegg, Suld, in hiſce editio regionibus multas quidem elegantes plantulas ſed nihil novi inveni.

Lichen *Rar. helv.* 117.
- - 119.
Selago.
Selaginoides.
Salix 199.

Lapathum

Lapathum 209.
Salix 196.
Biſtorta 217.
Salix 195.
Theſium 219.
Carex 276.
Gramen 264.
Gramen alpinum paniculatum elegans paniculis ex ſpadiceo viridi & argenteo variegatis Scheuchz. p. 190. Tom. III.
Avena floribus dianthis aureis &c. Emend.
Gramen 340.
Cyperoides 279.
- - - 15. Enum.
Allium 366.
Hemerocallis 352.
Orchis 327.
- - 328.
Epipactis 319.
Helianthemum 431.
Anemone 407.
Caryophyllata 412.
Ranunculus 399.
- - - - - 400.
- - - - - 401.
Anemone 403.
Dryas.
Potentilla 417.
Myoſotis 490.
- - - - 491.
Sedum 440.
- - 445.
Saxifraga 451.

Saxifraga 453.
- - - - 455.
- - - - 457.
- - - - 460.
- - - - 464.
- - - - 467.
Geranium ſubcœruleum.
Silene 479.
Saponaria 486.
Alſine 495.
- - - 496.
- - - 500. ſed folia omnia margine ciliata L. eſſe videtur.
- - - 502.
- - - 504.
Ledum 523.
Aretia 637. var. Prapior.
Gentiana purpurea.
Daucus creticus.
Aſtrantia minor.
Bupleurum 555.
Aretia 638.
Campanula 633.
Viola 665.
- - 666.
Seſeli 547.
Gentiana elegans Bavarica.
Soldanella.
Primula auricula.
Campanula 599.
Plantago alp.
Myrrhis minor Lob.

Viola

Viola alp. rotundiſ. lutea.
Aretia 636.
Veronica 669.
- - - - 673.
- - - - 674.
Draba 684.
Siſymbrium 719.
- - - - - 720.
Lepidium 696.
- - - - 697.
Draba 685.
Biſcutella.
Cardamine impatiens.
Arabis 724.
Phaca 736.
- - 737.
- - 738.
- - 739.
Hedyſarum.
Pinguicula 794.
Antirrhinum alpinum.
Pedicularis 830.
- - - 831.
Stæhelina.
Acinos alpin.
Ageratum.
Aſter alpinus.
Taraxacum 964.
Achillea 926.
Doronicum helv. incan.
Globularia pyrenaica.
Arnica foliis ſerratis.

Arnica

Arnica foliis integerrimis.
Erigeron 939.
- - - 940.
Bellis alpina major, fol. rigido.
Cacalia.
Leontodon haſtile L.
Hieracium villoſum L.
- - - ſtatices folio L.
Leontodon aureum L.
Valeriana montana Scrophular. folio.
Ptarmica alp. matricariæ fol.
Cirſium foliis inter flaveſcentia folia congeſtis Enum.

Iter alterum per Frutigen, Candelſteg in vallem alpinam Gaſtern inſtitui 5a. Auguſti, & ſequentes plantas legi.

Gentiana campeſtris L.
Erigeron alpinum.
Circea alpina.
Rapunculus 2. Enum.
Epipactis 316.
Sedum hirſutum.
Saxifraga cæſia.
Viſcago 480.
Saponaria 495. nonne hæc ob tubas 3. etiam ad genus Viſcaginis referenda?
Carduus 6. Enum.
Stellaria nemorum L.
Aſtragalus campeſtris.
Biſcutella.
Saxifraga Bryoides.
Arenaria ciliata.

Siſym.

Siſymbrium 719.
Gentiana purp.
Dianthus arenarius.

Cæterum in vicinia poſtea ſequentes plantæ proveniunt rariores.

Campanula 2. Enum.
Orobanche ramoſa.
Potamogeton folio longo ſerrato C. B.
Allium oleraceum L.
- - carinatum L.
Clavaria ophiogloſſoides.
Comarum paluſtre.
Homalocenchrus.
Triglochin.
Lotus 2. Enum.
Schœnus albus.
Juncus cum pericarpiis rotundis.
Oxycoccus.
Dioſera utraque.
Andromeda.
Anthericum.
Viola montana Trachelii folio.
Linagroſtis ſpica unica oblonga gracili.
Meſpilus Amelanchier.
- - - Cotoneaſter.
Lonicera alpigena.

Pene oblitus fuiſſem Alſines ni fallor novæ, quam haud longe a vico Candelſteg in aſcenſu ad vicum Gaſtern legi. Sequentem deſcriptionem ad plantam recentem comparavi.

Radix tenuis, fibroſa, multos *cauliculos* educit palmares, erectos, filiformes, geniculatos, teretes, ſubnudos, ſuperne dichotomos. Folia inferiora congeſta, flaccida, linearia, glaberrima, ſere obtuſa, obſcure canaliculata, tres lineas longa, ad caulem pauciſſima, oppoſita, amplexicaulia, breviora, ſature viridia. *Pedunculi* ex dichotomia caulis fere unciales uniflori, aut nudi, aut unico pari foliorum brevium veſtiti, ad lentem vitream pilis raris glanduliferis inſtructi. *Calycis* 5. foliola ovato-lanceolata, acutiſſima, viſcida, oris concoloribus. *Petala* 5. integra, ovata alba, longitudine calycis. *Stamina* 10. *filamenta* petalis alterne breviora, alba, glandulis inſerta. *Antheræ* carneæ. *Germen* conicum; *tubæ* 3. ſtaminibus breviores. *Fructus* per maturitatem calyce paulo longior, unilocularis, ut videtur 3. valvis, Ab *Alſine* 496. differt habitu tenuiori, minus folioſo, foliis non carnoſis, flore minore, bracteis viridibus, quæ in illa membranea, & dichotomia caulis, qua nota ab omnibus Alſines ſpeciebus differt. Ex comparatione cum aliis ſpeciebus nomen poſſet fieri *Alſine petalis integris foliis omnibus linearibus flaccidis caule dichotomo pedunculis longiſſimis.*

Hæc ſunt, Vir Illuſtriſſime, quæ herbationes hujus æſtatis protulerunt: ſi quasdam ex memoratis ſtirpibus deſideras, verbulo moneas rogo, & illas Tibi maximo cum gaudio mittam.

Si per otium faſciculum anni 1765. ex Praborgne, & valle St. Nicolas &c. quibus hucuſque careo, & etiam hujus anni ſeligere velles, gratiſſimum mihi donum faceres.

Valeas

Valeas Vir Illuſtriſſime meque favore tuo ulterius amplecti non recuſes.

Dabam Spiez 4. Septembris 1766.

253.

C. F. WOLF.

Ita mecum cogitabam, Vir Perilluſtris, & Excellentiſſime, poſtquam ultimum Elementorum Phyſiologiæ Tomum legiſſem, ut operum minorum Tomum ſecundum exſpectarem, indeque hauſta plenaria notitia tuorum argumentorum, denique, aut concederem, quæcunque inter nos controverſiæ geruntur, aut, quid dubii adhuc reſtaret, explicarem! ſed cum video, non ita brevi fore, ut prodeat Tomus ſecundus, neque tamen gratiſſimæ mentis affectus diutius reprimere poſſum, ideo potius ob hanc cauſam ad Te ſcribere conſului.

Primo itaque Tibi gratias ago, Vir Perilluſtris & Excellentiſſime, quas poſſum, maximas, quod meis de generatione qualibuscunque cogitationibus locum conceſſeris in immortali opere tuo, quodque meam opellam, adhibitam ad hoc difficile negotium naturæ inquirendum, meaque conamina laudaveris.

Deinde vero, quod Te video, mihi benevolentem eſſe, immo quod Te video, me amare, ſumme Vir, etſi nunquam me videris, neque aliter, niſi ex litteris me, & animi conditionem,

 noveris;

noveris; adeoque nonniſi ſolius veritatis & virtutis cauſa; id vero Deus Tibi ſatisfaciat; nam ego me nunquam in hac vita tanti momenti fore ſpero, ut aliquid Tibi boni, quod dignum ſit hac tua virtute, facere poſſim, niſi æternam mentis venerationem erga Te putare velis.

Quod controverſiam noſtram attinet, ita ſentio. Non magis mihi, quam Tibi, V. P. veritas cara eſt. Sive ex inviſibili ſtatu in viſibilem evolvantur, ſive ex aëre producantur corpora organica naturæ; nulla cauſa eſt, cur ego aut hoc potius, quam illud, optarem, aut illud potius vellem, hoc nollem. Atque eadem quoque Tibi, Vir Perilluſtris, ſententia eſt. Solam veritatem uterque ſectamur; id, quod verum eſt, quærimus. Quare ergo contra Te diſputarem? Cur Tibi reſiſterem, cum ad eundem ſcopum mecum collineas? Tuæ potius curæ epigeneſin committam tuto, defendendam & excolendam, ſi vera eſt; ſin falſa, etiam mihi erit monſtrum odioſum. Evolutionem ego admirabor, ſi vera eſt, & adorandum naturæ Autorem ſubmiſſiſſimo cultu venerabor, Numen humanis intellectibus inexplicabile: ſin falſa, Tu etiam me tacente, cito rejicies.

Dum vitelli membranæ duplicem laminam, attribui, de qua re in Elem. Phyſiol. p. 95. Vir Perill. agis, intellexi vitellum dies ad XIV. XVI. incubatum, ubi ſcis, exteriorem ejus ſacci vitellarii laminam glabram peritonæo ſimilem, in meſenterium, interiorem vero diſtinctam, mollem, rugoſam,

rugoſam, villoſæ inteſtinorum per ductum vitellarium continuari. Sed vitellus non incubatus mihi videtur unica quidem, ſed nec alia, gaudere membrana, niſi quam Tu, V. P. loc. cit. non ad vitellum pertinere, ſed interius folium membranæ umbilicalis eſſe ſcripſiſti. Ea poſt dies x. xii. certe membrana umbilicalis eſt, uti dixiſti, ſive chorion Malpighii, neque cum inteſtinis continuat; ſed in non incubato vitello, hujus mutuatum quidem involucrum eſſe, aut potius ejus vicem præſtare, mihi videtur, quæ nempe, & unica quidem, fluidam vitelli ſubſtantiam contineat. Vidi quidem, dum hujus partem reſectam aquæ immerſi, aut ſpiritui vini, ei ſubjectam eſſe ſubſtantiam pulpoſam, mollem, a qua illa tenuis tunc ſponte ſecedit, ſed hæc mihi pars albuminis abſorbti ab aqua vel vini ſpiritu inſpiſſata eſſe videtur.

Nonne etiam ſic, Fabricius ab Aqua pendente & cum eo Harveus ſentire videtur, dum Exerc. XII. de reliquis ovi partibus p. m. 42. de vitello ita diſſerit: „Eſt ovi liquor molliſſimus, *tenuiſ-* „*ſima* membrana obductus, qua abrupta effluit.“ Credo enim, ſi præter hanc vulgo notam, aliam, illi ſubjectam, intellexiſſent, adcuratius deſcripſiſſent.

Vaſa vitellorum in ovario gallinæ prægnantis inquiſivi, reperi, a vaſis ovarii derivata, cum peduncula vitelli ad hunc tranſire, in ejus ſuperficie diſpergi, fere uti arteriolæ ciliares juxta nervum opticum ad bulbum oculi tranſeunt, inque eo

diſperguntur, niſi quod longe minores & plures ſint ſurculi.

Sed hæc, utut ſint, cum nihil tamen certi quoad generationem definiant; plane omittamus. Tomum ſecundum Operum minorum exſpecto; ad alia tum inquirenda aggrediar.

Interim tuo favore, Vir Perilluſtris & Excellentiſſime, quo hactenus me ornaviſti, ut me ornare pergas, id modo unicum a Te maximopere peto.

Vale. Berol. d. VI. Oct. 1766.

254.

JOH. GESNERUS.

Veniam dabis Vir Amiciſſime, quod in ea negotiorum tuorum multitudine frequentioribus litteris Te obſtrepam: occaſionem hujus epiſtolæ efficit morbus pneumonicus bovinus, qui ex aliquo tempore jumentis in liberis provinciis exitialis exſtitit. In quo morborum genere noſtri homines, qui Veterinariam exercent, ſubinde feliciter medicinam adhibuerunt, itaque in noſtra ditione ſufficere videbatur ſeparatio ſani ab ægroto jumento alendo, ſubminiſtratis aptis medicamentis, neque verebamur, poſſeſſoribus uſum detractæ pellis concedere, ſi accurate ſiccaretur, neque ulceribus eſſet infecta. Ex iis vero, quæ Ampliſſ. veſter Magiſtratus ſanitati curandæ præfectus Senatui noſtro ſignificavit, patet, hunc morbum

morbum adeo exitialem & immedicabilem videri, ut nulla ſalus niſi in occiſis & defoſſis cum cute animalibus ſperanda ſit. Mentio ſimul fit putredinis pulmonum ſiccæ, *trokner Breſten*, quæ humida fit multo pernicioſior & citius inficiat. An hæc fuerit pneumonitis inflammatoria criſin reſpuens, an ſcirrhoſa quædam pulmonum labes, non recte definio; neque vero certius edoceri potero, quam a Te ipſo, qui & ipſe es pars magna Senatus, & veræ Medicinæ & Anatomes expertiſſimus. Pergratum itaque facies, ſi cogitata tua de hoc morbo, quamprimum per graviſſimas tuas occupationes licebit, ad me perſcribas. Ego enim, etſi rarius ad deliberationes, quæ in Senatu ſanitatis fiunt, & magis politici fori ſunt, accerſar, ab hoc tamen conſilio mihi abeſſe non licebit: nollem vero ſollicite nimis & timide, neque tamen ſecurius in hoc gravi negotio agere. In noſtra certe ditione medicamenta huic morbo non inutiliter fuerunt adhibita, atque etiam hoc tempore a Veterinario quodam Birminſtorfenſi atque Einſidlenſi malo huic in Provincia libera efficacem medicinam opponi audio. Etiam in hac & alia lue pecorum non dubitavimus, cutem uſibus adhibere, ſi ſiccata probe erat, neque bubonibus vel ulceribus infecta. Neque quicquam mali inde proveniſſe, experientia docuit, & inprimis confirmare videntur experimenta ab Ill. de Courtivron in Gallia inſtituta. Juvabit autem partes oris & narium reſecari, quæ ſaliva morboſa ſubinde repletæ ſunt. Deus O. M. benigne avertat malum a finibus noſtris.

 Vale,

Vale, Vir Illuſtris & Amiciſſime mihique perge favere.

Turici d. 10. Oct. 1766.

255.

JOH. GESNERUS.

Etiam mihi obſcuriores dies operam in Botanicis difficiliorem reddunt, maxime dum hebetior & ſenilis viſus ingraveſcit. Ex præfatione tua eximia, quæ ad Hiſtoriam naturalem Helvetiæ illuſtrandam facere poſſunt, jure præſtolor, atque optandum ut etiam ſeparatim venalis proſtet.

Syſtema naturæ, quod Hagæ Com. jam anno 1765. prodire cœpit, exſpectationem meam omnino fefellit. Nihil ineptius, nihil ſtolidius excogitari poteſt, quam x. iſtæ Tabulæ regni vegetabilis, quæ 3. priores claſſes Syſtematis Linnæani ſiſtunt. Non aliæ apparent icones, quam ſi ea barbaro herbario Cubæ, qui hortus ſanitatis inſcribitur, eſſent depromptæ. Et vix decimæ plantæ verum nomen genericum adſcriptum eſt. Pro Alpinia Eryngium pingit. Pro Boerhaavia Equiſetum, pro Hippuride Equiſetum aliud; pro Proſerpinaca Hippurin; pro Callitriche Androſacen; pro Hirtella Valerianam rubram; pro Olace Polemonium; pro Hortegia Valerianam hort. Pro Cneoro & Polycnemo Daphnem; pro Loeflingia Staticem; Pro Caſſytha Cuſcutam, addito flore Caſſidæ. Impudens & inſanus ſit author oportet, qui

qui hos errores committit. Pretium in ſingulas Tabulas eſt 10. Stuver. & pro illuminata 1. fl.

Turici d. 6. Nov. 1766.

256.

BARTHOL. ALPHONS. PANZOLDI.

Infans trium menſium, ſanis parentibus, naturalique partu ſanus natus, inproviſo hœdi balatu a ſomno excitatus, & perterrefactus, poſt horas ſeptem vel octo epilepſia corripitur; hac quadrageſies, & ultra, menſis circiter ſpatio vexatus fuit; ſiluit inde morbus per annos, nec minimum ſui amplius, ne in dentitione præbuit indicium: ætatis anno quarto exacto iterum hujus morbi amantiſſimis parentibus ingruit ſuſpicio; ex improviſo enim prævio brevi abdominis dolore puer abſque ſenſu jacuit, at per pauca tantum minuta inde ad ſe rediens obdormivit, exinde in hanc uſque diem raris, incertisque intervallis ſemel, bisve in anno eodem morbo pari ordine fuit correptus, atque ſemel ex relatione adſtantium fixis oculis, livida facie, artubúsque rigidis jacuit.

Hoc anno 1766. quater morbi inſultus paſſus eſt, tres primi breves tamen adeo fuerunt, ut quouſque Medicus, etſi ſollicitus, adeſſet, jam diſparuerint, ultimus autem paroxyſmus die 19. Octobr. contigit luna exiſtente plena, ac per horam & ultra duravit: retulerunt adſtantes, quod

puer conqueri cœperit ſe male habere; deinde de doloribus ventris, de quibus, ut ſupra dictum eſt, ſemper inſtante paroxyſmo conqueſtus eſt, hinc quod viderint utrinque ad muſculos temporales motum quendam ſpaſmodicum ſucceſſivum, & turbinatum, ceſſantem ſubinde, ſubinde recurrentem. Puer inde jacuit ſine ſenſu; oculis modo fixis, modo diſtortis, apertis modo, modo clauſis; ac ſub palpebris rotantibus: facies modo erat livida, modo pallida, ex ore ſaliva modo aquoſa, modo ſpumoſa effluebat, artus etſi perpetuo fere flexiles, inordinate movebantur, tendinesque ſubinde ſubſiliebant, pulſus nunc validus micabat, mox vix tangebatur, in paroxyſmo inſcius alvum exoneravit.

Puer nunc ætatis eſt annorum octo cum dimidio, temperamenti ſanguineo-lymphatici, habitus corporis mediocris, ſanus alioquin, & vegetus, ſi excipiatur levis quædam quaſi perpetua & inanis tuſſicula; ex faucium puto irritatione a copioſa ſaliva, qua os ſemper exundat: variolis ante quinque annos decubuit diſcretis, quarum eruptionem convulſivi motus præceſſerunt; exinde bis catarrhali febre, & ſemel dyſenteria ægrotavit.

Jam cum de radicali hujus morbi cura ſolliciti admodum Illuſtriſſimi eſſent Parentes; mihi ſubſcripto eam demandarunt. Attamen opinionem meam cum doctiſſimo alio in arte viro communicavi, ipſiusque approbatione curationem inchoavi, eadem nunc cogitata & acta provido Illuſtris patris conſilio ſapientiſſimorum in arte virorum,

tuoque

tuoque potiſſimum judicio ſubmittere æquum viſum eſt, ut eo citius & certius dilectiſſimi & hucuſque unici filii ſaluti proſpiciatur.

De morbi nomine nullam moveri poſſe quæſtionem dolens credo, de morbi autem cauſa aliter ſentio, etſi enim affectus hujus in prima infantia cauſa fuerit veriſimiliter terror: dixi veroſimiliter, quia non prorſus impoſſibile foret, quod epilepſia ab aliis in illa ætate frequenter præſentibus cauſis ortum duxerit. Sed poſito etiam, quod terrorem pro cauſa agnoverit, ſpes eſſe poteſt, quod ex commotione a terrore tunc facta ultimi non dependeant inſultus; videtur enim, quod quatuor ferme annorum ſpatio, quo ab omni prorſus hujus morbi ſuſpicione liber vixit puer, commotionis illius & ideæ memoriam deleri potuiſſe.

A quanam autem prædiſponente cauſa morbus in hoc puero ortum ducat, licet attente omnia perpenderim, & ſollicita diligentia examinaverim, ſtatuere pro nunc nequeo; niſi puerilem ætatem huic morbo facile obnoxiam; laxiorem ſolidorum compagem, nimiam nervoſi generis irritabilitatem, & exundantem ſeroſam colluviem pro cauſa prædiſponente cognoſcere vellemus, difficulter quoque cauſam excitantem aſſignare poſſum, ſi tamen aliquid in re difficili, & abſtruſa conjectare licet, videtur cauſam occaſionalem latere in abdomine, ibi enim inſtantis, & ingruentis paroxyſmi prima obſervantur indicia, num autem ab aliquo acri humore partes illas velli-

vellicante? num a vermibus inteſtina rodentibus? etſi a medicamentis aſſumptis teretem vermem inſignis magnitudinis aliquando excreverit, pro certo affirmare non audeo. Convulſivi ultimi inſultus excitans cauſa frigus fortaſſe fuit, die enim pro temporis conditione valde frigido levioribus indutus veſtimentis puer per plures horas fuit in eccleſia, & alibi libero aëri expoſitus. Morbi curationem ſperandam eſſe tenera patientis ætas, ingruentis morbi manifeſta præcedentia indicia, capitis optima conſtitutio, & nulla hæreditarii morbi ſuſpicio promittunt, curationis autem difficultatem morbus ipſemet natura ſua, & paroxyſmorum longa nimis intervalla merito timere faciunt.

Præſentem corporis diſpoſitionem tollere, aliamque inducere ſequentibus alterius etiam Medici conſilio approbatis anniſus ſum. Primo pilulas purgantes adhibui ex extracti catholic. ℈ß. reſin. jalap. & mercur. dulc. ana. gr. iij. deinde tres pilulas ſingulo granorum pondere ex gumm. ammon. ʒj. Sal polych. ʒß. Sapon. Venet ʒiß. Suc. inſpiſ. glycyrrh. ʒj. tart. vitriol. & terebint. ana gr. xv. ter in die aſſumpſit; quibus ſuperbibebat vaſculum decoctionis radicum aperientium; hiſque ſingulis decem, vel duodecim diebus pilulæ purgantes interponebantur: hiſce per tres menſes optima pueri tolerantia continuatis ad alia tranſire viſum fuit, præcipue poſt ultimum perpeſſum paroxyſmum, hinc eodem purgante præmiſſo pilulas alias ex pulvere lign. viſci querc.

rad.

rad. valerian. ſylv. ſapon. venet. ana ℈ß. extract. rut. gumm. ammon. ana gr. vj. c. ſ. q. ſyrup. in pilulas compactis, ſemel in die ſumpſit, in quarum uſu perſeverat, quibus itidem ante novilunium & plenilunium purgantia interponere animus eſt, immo non inconſultum crederem, ſi loco decoctionis ex radicibus aperitivis vinum aliquod medicatum amaricans, & roborans pilulis ſuperbiberet, quid ſi leviter martiatum?

Diæta conveniens indicta fuit, etſi aliquantulum ſicciorem amaſſem: vino communi potius præjudicata opinione, quam Medici præſcripto in totum abſtinet. Non enim credo, quod vinum ſemper inimicum ſit nervis, ut vulgo creditur, ſed potius credo, quod ſi noceat, ut evidenter aliquando nocet, noxa non ſit in re, ſed in modo.

Exercitio corporis utitur patiens frequenti, & quantum fieri poteſt, animi caventur pathemata, hoc ex Medici conſilio: num vero in cibo, & aliis rebus non naturalibus errores admittantur, nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam dicere auſim, hoc unum dicam; medicamenta quæque utcunque apta, & morbo debellando paria inutilia futura, niſi convenienti diætæ ſociata, inter cetera propoſita auxilia de externis etiam frictionibus pannis laneis aromatico fumo imbutis, toto corpore, ac præcipue ventri faciendis, aliquando factus eſt ſermo; quæ tamen hucuſque non fuerunt adhibitæ.

Præter

Præter autem hucuſque adhibita vel indicata remedia, quæ omnia conſummato ſapientiſſimoque practico tuo judicio Vir Illuſtriſſime & Celeberrime ſubmittuntur; proponuntur Tibi examinanda pauca ſequentia. Moſchus ſcilicet, aquæ Spadanæ, vel his ſimiles, oleum rectificatiſſimum ſanguinis humani. vel ex aliis animantium partibus; itidemque externus uſus magnetis. De hiſce non minus, quam de omnibus & ſingulis ad curationem hujus morbi adhibendis, tuum ſapientiſſimum præſtolatur judicium & conſilium, a quibus in poſterum integer pendebit curationis ordo; mihique pergratiſſimum & honorificum ſemper erit Medicorum Principis, quem aliâs in medicina facienda Ducem ſecutus ſum, conſilia & præcepta executioni mandare, ex quibus Deo adjuvante, patientem noſtrum nobiliſſimi Genitoris hucuſque chariſſimum, unicumque pignus exoptatam ſalutem cito, tuto & jucunde conſecuturum confido.

Unicum præter ea habeo, quod orem, & obſecrem, ſcilicet, quod Tu Vir Illuſtriſſime & Sapientiſſime amare & commendatum habere non dedigneris (etſi ignotum) ſummum tamen, nullique ſecundum Tui cultorem & æſtimatorem.

Dabam Bulſani 14. Nov. 1766.

257.

257.

MICHAËL SARCONE.

Jam diu a me Tibi litteræ! non equidem, ſolertiſſime Halleri, meâ culpâ. Litteræ tuæ ſerius mihi redditæ: ipſas peramanter humaniſſimeque ſcriptas, & ſane amoris optimi in me plenas inveni. Utinam mea firmiter tantum habeant id pretii, quod iis tuus amor indixit! Patere igitur, Vir amiciſſime, ut gratias Tibi dicam habeamque animo quam verbis largius.

Pigebat equidem me Tibi primum epiſtolis quid ſentiam de tuis circa *irritabilitatem* & *ſenſitivitatem* partium corporis detectionibus hac opportunitate aperire. Verebar ne Tibi viderer ſuffragari favorabilis accepti judicii cauſa. Sed favorem in pretio non eſſe ſatis ſuperque teſtatum faciunt, quæ jam ſcripſeram in tuam perſonam, inque cauſam tuam.

Doleo non ſortem tuam, ſed tuorum adverſariorum pervicaciam. Noſti hodiernum *το φιλοτιμον* ingenium. Plures legunt ut carpant: multi ſcire abnuunt, & audent judicare: pauci æquo honeſtoque animo ſibi, artibus, & auctoribus conſulunt. Non Te fugit, quod ex omni ævo nova inventa uti commodum reipublicæ tantum, ſic negotium inventoribus ex rabie invidorum crearunt. Id Tibi cum Galileo, cum Harvejo, cum Ruyſchio commune erit. Animos idcirco

tolle:

tolle: macte: novos in publica commoda meditare triumphos: inanes inimicorum ſermones & nugæ calcar addant, non frænum. Sed propius ad rem.

Ut primum, multis jam annis elapſis, vidi *πολυδαιδαλα de ſentiente & irritabili partium natura* ſcripta tua (patere Vir Clariſſ. ut ex animo dicam) rei novitate perculſus, id mihi cordi fuit, ut ex natura ipſa veritatem eruerem. Non pudet dicere, me primum aberraſſe ſæpius a recta via. Verum re melius perpenſa, & rectius explorata natura, indubitanter vidi mihimet fraudem tuliſſe nimiam in experiundo feſtinationem, & minorem quam decebat in judicando temperantiam. Ita factum, ut virtutis ergo ad cauſam tuam amplectendam me natura ipſa compelleret. Hinc conſilium duxi amicos monere, ut juſtius de tuis rebus ſentirent, & quotiescunque tempus adeſſe, ea coram teſtari, quæ domeſticis numeroſis experimentis in animalibus obſervaveram. Sic in noſtro Archigymnaſio cum publice de cathedra Phyſiologiæ, aliquot jam retro annis, certaretur, adverſus Clariſſ. Virum *Franciſcum Dulcem* me ſuſtinuiſſe memini, „ tendinis ſubſtantiam ſenſu carere: & pleuram „ (quam ipſe acutiſſimo ſenſu pollere ex propriis „ obſervatis, aſſerebat) nullum, aut vix appre„ tiabilem ſenſum habere ". Sic diu tanquam pro aris & focis a veritate coactus pugnavi, & ut in ſuas partes æquiores traherem omne ſtudium adhibui. *Dominicum Sanſeverinum*, virum mihi aliqua, quoad vixit, amicitia conjunctum, &

extero

extero qui doctiſſimum, quibus non compuli rationibus, verbo, & litteris, ut animoſi Senis Taurinenſis odiis ſeſe non immiſceret, & ad juſtam cauſam deficeret, rectiori animo exploratâ naturâ? Sed omnia incaſſum. Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.

Tandem noſocomii cohortis Helvetiæ cognomento Jauch apud Siciliæ Regem militantis cum eſſem renunciatus medicinæ praxeos Profeſſor primarius, quatuor abhinc annis ad hanc uſque diem frequenter mihi data facultas explorandi in humano corpore, quæ in animalibus ante quæſiveram. In noſtris igitur experimentis „ Tendines „ ſenſum non præbuere, etſi conſulto aliquoties „ lanceolâ perforaſſem : *duram matrem* nullam „ præbuit ſenſitivitatem : nullumque ſenſum ligamenta in medendo forcipibus prehenſa manifeſtarunt : Perioſteum, peritoneum, oſſa, arterias conſtanter abſque ſenſu doloris irritari, „ perforari, abradi, ligari vidi. Quid ſentiam „ de Pleura in opere meo patefeci ". De hiſce omnibus teſtes habeo Viros in Chirurgia experientiſſimos Johannem Bayer & Xaverium Reüch. Hiſtorias poſſideo conſulto exaratas, ut publici juris facerem aliquando. Id quidem exequi ſæpe in animo fuit : ſed fateor otio & animi ſerenitate ad id opportunis carui. Quæ ad Te, Tuaque pertinent, Tua ſunt, utare. Hiſtorias, quas habeo, ſi cupis, mittam.

Clariſſimus *Cotunnius* noſter mihi amiciſſimus, ut noſti, & Tui ſtudioſiſſimus noviſſime publicus

Anatomes Profeſſor in Archigymnaſio Neapolitano, magna bonorum omnium delectatione, renunciatus fuit.

Quod me dignari vis dono opuſculorum anatomicorum ad generationis potiſſimum negotium pertinentium, erubeſco. Hæc ſane generoſi animi ratio digniſſima tuæ virtutis nunquam, nobiliſſime Vir, memoria excidet. Id mihi erit perpetuum humanitatis & amicitiæ tuæ pignus.

Ea ſi miſſa cupies, mitti poterunt aut Romam ad Clariſſ. Baſſanum, aut Altorfium ad illuſtrem Equitem Joſeph Antonium de Jauch. Quod ut tutius fiat, poteris in tempore id mihi litteris nunciare, poſtquam opus miſſum fuerit.

Si reſcribere placet, Neapoli mihi reſcribendum. Vive in tuam famam, & publicum uſum: & me cultorem tuum olim, nunc amicum ama.

Neapoli 20. Nov. 1766.

258.

DE LA CHENAL.

Pro faſciculo pulcrarum ſtirpium, quem nuper benevole miſiſti, ſummas ago gratias. Aſtragalus Syriacus novus forſan eſt Helvetiæ civis, pulcra ſtirps; & qua collectio mea hactenus carebat. Alyſſum fruticoſum &c. quod miſiſti, quodque ſine dubio idem erit cum ſtirpe illa Octoduri lecta, cui Oederæ nomen inſcribere cogitabas, dudum inter

inter meas fuit ex noſtro horto academico. An Alyſſum creticum Linn. Sp. pl. p. 910. n. 12. ſed folia glauca ſunt, non incana, reliqua conveniunt; Alpino vero, cujus icon citatur, deſtituor.

Cum nullus noſtrorum Bibliopolarum Enumerationis meæ Stirp. Baſil. editionis ſumtus in ſe ſuſcipere velit, neque ipſe eos ferre conſultum fore putem, invitus quidem ſerius in tempus reſervare Opus meum cogor. Si quid interim ad tuum Opus Vir Illuſtriſſime, vel obſervationum circa characteres ſpecificos vel locorum natalium communicatione conferre potero, lubentiſſime faciam, quod eo facilius fieri poteſt, ſi placeret Operis tui folia ſigillatim prout imprimuntur, mittere.

Supereſt ut ad ultimas tuas litteras reſpondeam.

Miſi heri faſciculum continentem Geniſtam Burgundicam, vere ut puto a Scoparia diverſam, Caucalid. tenuifol. Alſinem ſegetalem, Alſinem mediam, Gentianam faucibus lanuginoſis, calyce æquali, Sedum arvenſe rubrum ſemper 10. ſtaminibus inſtructum, quorum tamen quinque ſtatim poſt floris aperturam evaneſcunt, Potamogeton compreſſum, caule tereti, reliquis duobus, latifolio nempe eoque glomerulis remotis, careo.

Vale Vir Illuſtriſſime & fave.

Dabam Baſil. d. 17. Dec. 1766.

259.

JACOBUS DICK.

Faſciculum plantarum pulcherrimarum, quibus herbarium meum ornaſti, rite ſuo tempore accepi, proque iis Tibi Vir Illuſtriſſime gratias maximas habeo.

Tempeſtas frigida, & nix copioſa prata & ſylvas obtegens, impediunt, quominus hucuſque muſcis operam dare potuerim.

Remitto quædam exempla Alſines, quam æſtate præterlapſa in præcipitio die Claus inter Candelſteg & Gaſteren inveni, & cujus deſcriptionem ſecundum omnes partes in una præcedentium epiſtolarum miſi. Dichotomiâ caulis articulati, & habitu ad Silenen quadrifidam L. accedente ab omnibus reliquis Alſines ſpeciebus mihi differre videtur: ſpeciatim ab Alſine tenuifolia foliis mollibus, calyce minus ſtriato præcipue in planta viva, caule dichotomo pedunculis unifloris differt; ſi deſcriptionem uberiorem deſideras, verbulo moneas rogo.

Neſcio an monuerim Vir Illuſtriſſime, *Plantaginellam* ad ripam ſinus, quem Lacus Thunenſis heic format, magna copia provenire.

Oro Deum Opt. Max. ut Te Vir Illuſtriſſime, camamque tuam Familiam, anno inſequenti, omnibus,

nibus, quæ in humanam ſortem cadunt, bonis cumulet.

Valeas Vir Illuſtriſſime meque ulterius favore tuo felicem reddas.

Spiez 21. Dec. 1766.

260.

DE LA CHENAL.

Quod tardius reſcribam, quam quidem animus erat humaniſſimæque tuæ litteræ expoſcebat, multis occupationibus curisque, quibus diſtineor adſcribere, mihique pro tua erga me benevolentia ignoſcere velis.

Plantarum, quibus hactenus deſtituor, helveticarum nomina vel maxime cognita, vel ex catalogo tuo deſumta, faſciculo ſtirpium adjungam, quem proxime ad Te mittam.

Lubentiſſime deſiderio tuo Vir Illuſtriſſime, catalogum meum ante Enumerationem tuam edendi, ſatisfacerem, ſi modo otium ſuppeteret tam brevi temporis ſpatio illum elaborandi; non ſolum enim mera plantarum nomina exhibere, ſed & characteres breves diſtinctivos claſſium, generum ſpecierumque, atque obſervationes brevesque rariorum minusque rite cognitarum ſtirpium deſcriptiones hinc inde addere animus eſt, & præterea pulcherrimos nonnullos agri noſtri tractus Botanicis hactenus inacceſſos, circa Kilchberg, Ri-

 keburg,

keburg, Känerkinden &c. bono cum Deo proxima æſtate peragrabo, minime dubitans, aliquid inde novi floræ noſtræ eſſe acceſſurum.

Caucalis arvenſis humilior & ramoſior, præter eas, quas Rajus jam in Hiſtoria ſua recenſuit notas, inprimis defectu involucri univerſalis differt, quod in Anthriſco nunquam non adeſt. Petala conſtanter alba; ſemina pulchra, purpurea, duplo majora in minore planta. Valde frequens eſt in noſtris agris. Crebræ præterita æſtate cum ſtudioſis medicinæ ſuſceptæ excurſiones botanicæ ſequentes fere ſuppeditarunt novas cives, vel rarius apud nos provenientes.

1. *Thalictrum* pratenſe anguſtiſſ. folio C. B. Michelfeldæ in pratis.

2. *Carvifolia* J. B. itidem.

3. *Oenanthes* ſpecies a vulg. diverſa, neque in omnibus altiſſimæ tuæ Rupe naſcentis ſimilis. *Ibidem*, nova civis.

4. *Carduus* tuberoſus abunde ab eo diverſus, quem in Actis helv. depictum dedi, uti ex ſpeciminibus patebit. *Ibidem.*

5. *Potamogeton* alpinum plantag. fol. Tourn. *Ibidem* in foſſis, nova civis.

6. *Potamogeton* gramineum tenuifol. Lœſel. *Ibid.* nov. civis.

7. *Acroſtichum*, prope Badenwyler, nova civis.

8. *Scirpus*

8. *Scirpus* filiformis capitulo laterali. In paludoſ. ſylvulæ prope Neuhaus, ſimilibus locis in ſylva Wylenſi, die Hardt, ad Wieſam in arenoſis &c. nova civis.

9. *Allium* ſtamin. alterne 3. fidis eminentibus, foliis fiſtuloſis, ſpica ſphærica Catal. n. 365. abunde in agris lapidoſis verſus Huningen, Pontem Wieſæ, retro D. Jacobum &c. nova civis.

10. *Papaver* capitulo longiore hiſpido. In agris verſus Alſchwyler, nova civis.

13. *Alſine* alpina glabra C. B. prope Badenweiler, nova civis.

14. *Digitalis* purpurea. Ibidem, nova civis.

15. *Braſſica* arvenſis perfoliata. In agris ad Wieſam non copioſe. nova civis.

16. *Carduus* ſtellatus Calcitrapa. Prope Groshuningen ad viam; nova civis.

17. *Hieracium* 4. Enum. helv. ad ripam Rheni. Vere diverſum mihi videtur. nova civis.

20. *Myrrhis* ſylv. ſemin. aſperis. Prope Neuweg in ruderoſis. nova civis.

21. *Hyoſeris* latifol. & anguſtif. Tabern. quæ Lapſanæ ſpecies eſt in Enum. Gœtt. ſatis copioſe inter ſtipulas in agris lapidoſis verſus Wyl medio adhuc Octobri florens. nova civis.

Clypeolam perennem dudum fruſtra quæſitam copioſiſſime tandem reperi menſis Aprilis initio in rupibus arcis Birſeck oppoſitis, eodem loco, quo C. B. indicavit.

Sanctæ Mariæ ad Mineras, ubi ſub finem præteritæ æſtatis per aliquot ſeptimanas apud ſororem commoratus ſum, pago ut optime noſti, ſuperioribus cacuminibus circumvallato, ſequentes rariores ſtirpes legi;

Rubiam 4. fol. vel rotundifol. levem, Violam montanam luteam grandiflor. Arnicam. Chryſoſplen. fol. oppoſitis, multasque alias etiam noſtras montes inhabitantes. Rariſſima vero erat umbellifera ſtirps, nova ut puto neminique hactenus dicta, planta, floſculis ex luteo viridibus, ſemine alato Angelica &c. deſcriptionem iconemque ejus Actis helv. inferam. In paſcuis naſcebatur pinguioribus altiſſimis cacumini M. Bloutberg ſubjacentibus.

Medio itinere pergrati fuere Daucus Alſaticus & Dipſacus laciniatus.

Vale, Vir Illuſtriſſime, & porro fave.

Dabam Baſileæ d. 18. Januar. 1767.

261.

261.

JACOBUS DICK.

De convaleſcentia morbi, quem diu ignoravi, ex animo gratulor, & opto, ut durabilis ſit. Ego quoque per tres fere ſeptimanas ophthalmia ſolito violentiori vexatus fui, quæ me ab omnibus omnino laboribus amovit. En Vir Illuſtriſſime deſcriptionem deſideratam Alſines meæ, quam ad plantam vivam exaravi.

Radix tenuis fibroſa multos educit cauliculos.

Caules palmares erecti, filiformes, geniculati, nudi, teretes, ſuperne dichotomi.

Folia inferne congeſta, flaccida, linearia, glaberrima, fere obtuſa, obſcure caniculata, tres lineas longa, ad caulem pauciſſima, oppoſita, amplexicaulia, breviora, ſature viridia.

Pedunculi ex dichotomia caulis fere unciales, uniflori aut nudi, aut unico pari folioloque brevium veſtiti ad lentem vitream pilis raris glanduliferis inſtructi.

Calycis 5. foliola ovato lanceolata, acutiſſima, in planta viva non ſtriata, viſcida.

Petala 5. integra ovalia alba longitudine calycis.

Stamina 10.
Filamenta petalis paulo breviora alba glandulis inſerta.

Antheræ carneæ.

Piſtilli Germen conicum. *Tubæ* 3. ſtaminibus breviores.

Fructus per maturitatem calyce paulo longior unilocularis, valvis ut videtur tribus, ſed quoniam nondum maturuit, non exacte numerare potui.

Valeas, Vir Illuſtriſſime cum optima Familia, & me porro favore tuo felicem reddas.

Spiez d. 20. Jan. 1767.

262.

JACOBUS DICK.

Quum hiſce diebus Claſſem Alſinaceam herbarii mei perluſtrarem, incidi in plantam, quam olim in itinere Rhætico in ſummis Berninæ jugis legeram, & ſtatim pro una notarum Myoſotidis ſpecierum habueram. Sed cum nunc illam attentius examinarem, ad nullam ſpeciem referre potui. Subiit animum, an forte ſit Myoſotis ab Oedero depicta, quam in Emend. VI. dixiſti *Myoſotis fol. lingulatis obtuſis, petiolis infractis, petalis cordatis.* Comparavi plantam diligenter cum deſcriptione tua. Suadent eandem eſſe folia pulpoſa, oblonga, lingulata, cauliculi proſtrati, flores longe petiolati, petala alba calyce majora: vetant vero petioli minus infracti & præcipue numerus tubarum, quarum in 6. ad minimum floribus examinatis

minatis nonniſi tres inveni, cum in tua planta quinque adſint. Nonne poſſet eſſe *Stellaria cerastoides* Linn. foliis oblongis, pedunculis ſubbifloris. Spec. Pl. p. 604. cum habitus Myoſotidis, character vero Stellariæ ſit. Ex paucis quæ poſſideo exemplis mitto perfectiſſima, & nullus dubito, quin inter tuas plantas plura invenias.

D. 29. Jan. 1767.

263.

DE LA CHENAL.

In praxi medica exercenda per aliquot jam menſes occupatiſſimus ſum, ut hactenus ad ultimas tuas litteras reſpondere haud potuerim.

Quod ex morbo tuo convalueris Vir Illuſtriſſime! valde lætor, utque firmiori & quantum per humanam imbecillitatem licebit, perfecta inpoſterum ſanitate fruaris ex animo voveo.

Deſideratis tuis ultimis, quantum potero, ſatisfaciam.

Palos non memini me unquam in Pulmonaria vidiſſe, neque in notis meis aliquid de illis reperio, licet ſæpiſſime florem hujus plantæ inſpexerim.

Uva criſpæ præter vulgatiſſimam ſpeciem, hactenus nullam apud nos neque alibi inveni.

In

In ſiccis meis ſpeciminibus Agrifolii meræ flores mares reperio, nullo tubæ vel ovarii veſtigio. In recente planta brevi hanc obſervationem de ſexu hujus ſtirpis repetere licebit.

Papaver capit. longiore glabro paſſim nobis provenit in ruderoſis & ad vias, juxta agros etiam in montanis legi, & in vallo urbis petrino. Bernæ olim legeram in agris inter Hindelbanck & Kilchberg. Alterum capitulo hiſpido unico hactenus in agro verſus Alſchweyler legi.

Potamogetum perfoliatum alterum in Herbario Hagenbachiano non reperio, ſubreptum forſan clanculum, ut plures aliæ.

Chærophylli ſylveſtris, Violæ hirſutæ inodoræ, Cirſii Aſphodeli radice ſpecimina ſicca brevi accipies. Quid ſit Gallium glauco folio, & qualem hoc nomine ſpeciem intelligas, equidem non ſatis perſpicio, an Galium ſaxatile glauco folio? Mittam nonnullas ſpecies hic & alibi in Helvetia a me lectas, de quibus mihi non ſatis conſtat.

Ad Gramina nunc redeo iisque adfines ſtirpes, difficillimam claſſem, quam tamen proxima æſtate, Deo vitam largiente, expedire conabor, nempe quoad ſpecies agri noſtri indigenas.

Haſce litteras feſtinante calamo conſcriptas per amicos mitto, quos Tibi, Vir Illuſtriſſime! commendo, alterum Morgenbeſſeri celebris Uratislavienſis Medici filium etiam Medicum, Gedanenſes reliquos J. U. & Theologiæ ſtudioſos.

Vale

Vale Vir Illuſtriſſime & favore tuo porro amplectere.

Baſil. d. 17. Martii 1767.

264.

JACOBUS DICK.

Aparinen paluſtrem Pariſ. quod ni fallor Gallium eſt *Pariſienſe* Linn. certiſſime haud procul a vico Formazz legi, ſiquidem hæc planta Gallium Pariſienſe eſt, cujus ramulum ab unico quod poſſideo exemplo decerptum hiſce ſubjunxi. Ver, cujus adventum Primulæ & Violæ & Croci & Galanthi celebrant, ſpem facit, brevi aliquid ulterius in plantis agi poſſe. Interim valeas Vir Illuſtriſſime, meque, prouti ſoles, favore tuo ulterius felicem reddas.

Spiez 10. April. 1767.

265.

C. F. WOLF.

Vehemens, qua laboravi, oculorum inflammatio impedivit, quominus ad litteras tuas, ſolito tuo erga me favore plenas, continuo reſpondere potuerim, Vir Perilluſtriſſime & Excellentiſſime; nunc fateor, argumenta tua, quæ pro exornanda evolutionis hypotheſi potuiſti, maximi momenti omnino eſſe, & tantum apud me valere,

ut,

ut, quid faciam in poſterum reſpectu theoriæ generationis excolendæ, fere neſciam; licet enim me non latuit, poſſe evolutionem corporum organicorum naturalium tanquam egregium divini Autoris teſtimonium contra adverſarios produci, quod deſtrueretur, ſi epigeneſis demonſtrata eſſet, tamen non omnem rem, ut Tu mihi expoſuiſti, ſumme Vir, & maxime venerande, perſpexeram, neque ſatis omnia conſideraveram. Nam minus quæſtionem eſſe nunc video de demonſtranda religionis veritate, quum potius de eo, ut iſta demonſtratio ſit facilis & brevis & evidens, itaque comparata, ut nulla facile fallacia contra eam ab inſidiatoribus ſtrui poſſit, cui rei nullum aliud argumentum, quam evolutio, æque aptum eſſe credo, neque quidquam magis adverſum quam illius refutatio. Verum enim eſt, nihil contra divini Numinis exiſtentiam effici, licet viribus naturæ & cauſis naturalibus corpora ſtruantur; nam hæ ipſæ vires & cauſæ & ipſa natura ſui ſibi æque autorem poſtulant, quam corpora organica: ſed longe tamen evidentior & melior demonſtratio eſſet, ſi conſiderando naturæ conditionem, inveniremus, ſingula ejus producta ſ. corpora organica Creatore opus habuiſſe, nihilque organici per cauſas naturales produci potuiſſe; ſed hæc omnia forte in tomo ſecundo operum tuorum aliquando explicata videbo.

Nunc Vir Perilluſtris & Excellentiſſime Petropolim vocatus ſum ad munus Profeſſoris Anatomiæ & Phyſiologiæ membrique Acad. Scient. ſuſcipiendum

cipiendum

cipiendum cum ſtipendio 800 Rubel, neque diu quid facerem, deliberavi; ſuſcepi; & acceptis pro itineris abſolvendi ſumtibus 200. Rubel, intra paucos dies hinc proficiſcar. Vehementer ergo Te rogo Vir Perilluſtris & Excellentiſſime, ut, quo honore & favore me hactenus dignatus es, eodem & in poſterum, licet longius a Te abſim; me dignari & ornare pergas. Nihil enim Medico, vel potius unicuique, & mihi ergo quoque, magis honori & gloriæ eſſe poſſe, ſemper credidi, quam vel litteras a Te accepiſſe, ſumme Vir, vel a Te in immortalibus ſcriptis tuis vocari, vel Tibi in bonam partem notum eſſe. Ideoque id ipſum, utpote quod hactenus tanquam optatiſſimum meorum laborum, conaminumve præmium a Te obtinui, ut & porro obtineam, maxime ut cupio & a Te ſummopere peto.

Doleo, quod a Te ipſo Tomum ſecundum Operum minorum accipere non poſſim, uti benigne promiſeras; dum temporis anguſtia obſtat, neque aliquis mercator Göttingæ aut Lipſiæ mihi notus; interim maximas Tibi gratias pro hac tua benevolentia ago, & expectabo igitur donec publice prodibit.

Tu interim bene vale Vir Perilluſtriſſime & Excellentiſſime; & vita tranquilla diu, diutiſſime fruere.

Berolini d. XVII. Aprilis 1767.

266.

266.

DE SAUSSURE.

Cerasa rubra acida.

Frutex in ſpontaneis ab 1. ad 4. pedes.

Rami fragiliores, tenuiores, cortice ſæpius rubello.

Folia rotunda cum brevi acumine duriora, glauca.

Glandulæ in folio ipſo verſus baſin.

Gemmæ tum fol. tum flor. ex foliis rotundis, concavis, conniventibus, parum villoſis.

Gemmæ florales ſolitariæ, alternæ.

Pedunculus brevis, firmus, erectus, craſſus.

Calyx minus ſtrangulatus, foliola calycina breviora, latiora.

Petala rotunda, concava, craſſa.

Fructus brevis, compreſſus, ruber, carne tenera, ſucco tenui, acido.

Vulgaris nigra.

Arbor a 12. ad 60. pedes.

Rami craſſiores, flexiliores, cortice ſæpius albo.

Folia lanceolata, cum longo acumine, teneriora, viridia.

Glandulæ in pedunculo ſub baſi folii.

Gemmæ

Gemmæ ex foliis longis, patentibus, extrorſum ſæpe revolutis, villoſiſſimis.

Gemmæ florales aggregatæ, umbellatæ.

Pedunculus duplo vel tripli longior, tenuis, infirmus.

Petala elliptica, minus concava, tenuiora.

Fructus ſphæricus vel longiuſculus, niger, ſucco glutinoſo, opaco, nigro, amaro dulci.

Genevæ d. 21. April. 1767.

267.

DE LA CHENAL

Cum pluvioſa atque ſubfrigida tempeſtas per totum fere menſem Majum continuaverit, tardius apparuere plantæ alias Aprili menſe jam conſpicuæ, ut hactenus deſideratis tuis nondum ſatisfacere potuerim, huicque neque alii cauſæ attribuas velim, quod ad ultimas Tuas penultimasque litteras tardius reſcribam.

Ut dubiis, quæ mihi plura circa nonnullas Carices ſuperſunt, Tecum Vir Illuſtriſſime me liberarem, plures jam in paludoſa loca excurſiones feci non abſque fructu. Quæ vero circa haſce plantas obſervavi, una cum ipſis ſtirpibus, tunc

quidem mittam, quando ſpecimina cum maturo fructu addere licebit.

Cyperoides Michelfeldæ lectum, quod varietatem eſſe ſuſpicaris nigro-lutei verni, certiſſime eſt Cyperoides junius 13. Enum. helv. licet ob ſpicas femineas immaturas gracilesque, totiusque ſtirpis humiliorem ſtatum, toto cœlo diverſa videatur.

Chriſtophorianæ characterem nuperrime denuo recognovi, Calyce gaudet 4. & 5. folio, foliolis ex ovato ſubrotundis, obtuſis, concavis, ex albo & purpureo coloratis, fugaciſſimis. Petala 2. 3. 4. & 5. minutiſſima ratione calycis & ſtaminum, ut vix hoc nomen mereantur, lanceolata, alba. Stamina receptaculo inſerta 20. ad 30. Ovarium oblongum. Tuba nulla. Stigma quaſi criſta ovario inſidens.

Galia duo paluſtria habemus 4. & 6. Enum. helv. vere diverſa, licet neutrum hirſuta ſemina habent.

Gramen paluſtre paniculatum minus nunquam ipſe legi, neque in collectione mea poſſideo.

Gramen caninum vineale reliquis deſideratis plantis addam.

Orchidem Cimicem olentem ſ. odore hirci minorem C. B. per 10. annos & quod excurrit a me aliisque

aliiſque in loco a Te indicato circa Gundeldingen fruſtra quæſitam, copioſiſſime tandem legi in pratis nonnullis verſus Wyl. Labelli ſegmenta plerumque tridentata erant, odor teterrimus e longinquo nares feriens plantam mihi indicabat, quam alias ob altiorem herbam hanc plantam penitus fere occultantem facile præteriiſſem.

Alyſſum ab Ill. Allionio & me pictum in pratis abs me indicatis in dies vulgatius fit, ut etiam ad vias & foſſas hiſce pratis vicinas etiam ad viam regiam abunde nunc naſcatur.

Non minus late nunc in dumetis infra Cliben ſeſe diffundit Thalictrum aquilegifolium, jucundiſſimo ſpectaculo.

Pratum nuper acquiſivi in ipſa urbe haud longe ab ædibus meis, inque hortum transmutavi, in quo unice rariores agri noſtri ſtirpes tam montanarum quam planiorum regionum alere animus eſt, ut omnes in eo ſtirpes conſpici poſſint, quæ altiores noſtros montes inhabitant, vel ſaltem ad horæ diſtantiam circa urbem haud reperiuntur.

Muro antiquo præalto cinctus eſt hortus ab una parte, alendis plantis campeſtribus aptiſſimo, cum jam a longo tempore Barbarea muralis, Cheiri, Salvea lutea glutinoſa &c. ſponte & læte ibi naſcantur.

Proxime faſciculum mittam cum obſervationibus, & ſi quid porro ad Opus tuum illuſtran-

dum conferre potero, lubentiſſime faciam, deſideratisque tuis pro viribus ſatisfacere conabor.

Vale interim Vir Illuſtriſſime & favere perge.

Dabam Baſil. d. 30. Mali 1767.

268.

CALDANIUS.

Non adhuc contentus ſenex, & metuens omni momento, ne Senatus auguſtus me tandem aliquando in illius locum ſufficiat, ſicque e duplici ſede, ut olim in more poſitum erat, novas tradam ſententias, ſuis conviciis & maledictis me torquet. Vox eſt eum alterum adverſarium nunc ſcribere, ut tua inventa reprobet, & Phyſiologiam emendet: utinam id verum ſit, cumque re ipſa edat uſque dum vivit; tunc enim dabitur occaſio, ut iniquis ejus cenſuris & contumeliis reſpondeam, quamquam in reſponſione ad le Catium id non ſemel tacite præſtiterim.

Miſi ad Somiſium tria exemplaria reſponſionis meæ: occaſio, quæ mihi ex improviſo ſeſe obtulit amici, qui Tauriuum adibat, non tulit ut eleganter ea ligare fecerim, quemadmodum mihi conſtitueram. Id a Te quæſo Vir Illuſtriſſime: unum exemplar ad Te pertinet, exorans ut erratis ignoſcas, & animum erga Te meum æqui bonique facias; alterum exemplar ad Academiam Göttingenſem; tertium ad Londinenſem mittendum

dum eſt meo nomine. Poſtquam legeris dic quæſo per litteras, an exemplar unum ad le Catium ſit curandum.

Expecto Zinnii opuſculum. Mutationi . . . . non valde credo: iratus & furens in S. . . . . fortaſſe ſocios ſibi adjungere tentat. Serpens eſt, qui non ſemel in anno corticem deponit, & novum induit, ſed cum iisdem moribus.

Ex variis libris & libellis, qui ex profeſſo, vel per accidens, de inſenſitivitate & irritabilitate agunt, fundamenta ſenſim ſenſimque decerpo pro concinnanda hiſtoria quæſtionis iſtiusmodi. Utinam bene cedat!

Vale Vir præſtantiſſime, & pro certo habeas me omni tempore eſſe &c.

Dabam Patavii die 26. Junii 1767.

269.

DE LA CHENAL.

Quominus citius ad ultimas tuas penultimasque litteras & ſchedulam reſponderim, varia impedierunt, & primo quidem per aliquot tempus abſens fui, deinde per aliquot jam hebdomades dyſenteria tantopere heic graſſatur, ut in ipſa urbe noſtra quingenti & ultra hocce morbo laborent, ut quotidie inviſendis 30 & quadraginta haud raro ægris occupatus ſim. Mittam tamen inſequente die Mercurii, quæ deſideras.

Buxum non amplius florentem reperi, ut ad inſequens ver ſexus ejus examen differre cogar.

Chenopodia extricare ſtudebo.

Alium Ribem præter vulgarem Uvam criſpam hactenus haud reperi. Ulterius in eum inquiram.

Salix purpurea perinde mihi ignota eſt.

Etiam Caucalidem arvenſem humiliorem examinabo.

Bryi, a me detecti, ſpecimina cum calyptra addam.

Carduum in Actis helv. a me depictum nuper abunde ex montibus circa Ramſtein & Vogelberg lectum accepi, & etiam in hortulo meo florentem habeo.

Tunicam petalis profundiſſime laciniatis nuperrime examinavi. Reſpondet Superbo Linnæi a Jaquino picto. In montoſis umbroſis humidis non rarus, etiam in ſylva die Hardt, neque Michelfeldæ nullus. Plumario deſtituor.

Crepidem muricatis calycibus non amplius reperio, licet jam aliquoties eadem loca adierim, ubi præterito anno legeram. An mera varietas vulgaris Crepidis?

Vale Vir Illuſtriſſime! & porro favore tuo perge.

Dabam Baſileæ d. 22. Aug. 1767.

270.

270.

PETRUS JONAS BERGIUS.

Multifariam tuam doctrinam, Vir Excellentiſſime, qua quidem omnium in Te oculos diu convertiſti, ego inde ab eo tempore magnopere ſuſpexi, quo primum in caſtra Medicorum pariter ac Botanicorum memet recepi. Enimvero in utroque hoc ſcientiarum genere tantum operæ curæque poſuiſti, ſcientiaque ac diligentia adeo enixus es feliciter, ut jam eruditorum nulli par, omnibus videaris ſuperior. Ad hoc excelſum Temet reddit eximia illa, quæ in Te collucet, humanitas, atque erga litterarum cultores benevolentia, qua optimum quemque non potes non Tibi conciliare. Mirum itaque Tibi, ſumme Vir, non videatur, me, etſi ignotum, vultum tuum jam ſubire, quem ſerenum placatumque toties præbuiſti conterraneis meis oppido multis.

Ex quo praxin medicam, ante tria jam luſtra impenſius exercere cœpi, ei quidem plurimum temporis impendendum mihi fuit, tantum tamen apud animum meum valuit ſtudium Hiſtoriæ naturalis, quod maxime jucundum atque inevitabile, & cum quadam illecebra & voluptate utile mihi viſum, ut non potuerim non complures horas ſucceſſivas in illud ipſum inſumere. Imprimis mihi arriſit, & neſcio qua memet dulcedine duxit, alma rei herbariæ ſcientia, quare etiam diligens plantarum collectio pariter atque contem-

platio frequentiſſimum mihi fuit parergon, quotiescunque otio ex ſententia frui mihi licuit. At vero ſerius animum applicui ad aliquid argumenti botanici conſcribendum, utpote qui dubitavi, an aliquas eo ipſo gratias mererem apud nonneminem, qui diligentiam ut plurimum ſuffocare ſolet eorum ex . . . . . . , qui aliquid in botanicis proprio marte moliuntur, quod non prius ipſi obtulerunt, ejusque ſubjecerunt arbitrio. Nihilo tamen ſerius periculum aliquoties in actis noſtris feci, tandemque, poſtquam ex liberalitate Grubbii noſtratis egregia ſatis plantarum Capenſium collectio mihi contigiſſet, integrum de iis ipſis conſcribere non dubitavi libellum, quem etiam deinceps, nullius conſulta ſcitatus typis exſcribendum curavi. Jam vero, quandoquidem mei haud parum intereſt, ut magni alicujus viri maturo pariter ac æquo libellus hic ſubjiciatur judicio, ad Te, Excellentiſſime Vir, accedo, quippe qui, eruditiſſimis operibus inclytus, longiſſimoque rerum botanicarum uſu ſolidatus, jure Botanicorum dici mereris Princeps; tuæ æquiſſimæ & a partium ſtudio alieniſſimæ dijudicationi atque examini libellum ſubmitto, adque tuam cenſuram adquieſcere non gravabor. Tradidi itaque jampridem libellum amiciſſimo Wargentino, utpote maxime gnaro, qua ad Te tutiſſime perferretur via, neque forte dubitandum, quin ad tuas dudum pervenerit manus. Certe etiam longe prius, quam nunc fit, litteris hiſce meis Tibi illud ſignificaſſem, niſi obſtitiſſet tum morbus, in quem mox deinde incidi, tum vero multa negotiorum

tiorum moles, quæ me, ubi convalueram, jugiter ab officio hocce diſtinuit. Bina fuere ea, quæ a me Wargentinus transmittenda accepit, exemplaria libelli, alterum, ut jam dixi, pro Te, Illuſtriſſime Vir, alterum vero pro illuſtriſſima, quæ Baſileæ floret, Societate ſcientiarum helvetica. Enimvero tanta cum voluptate almæ hujus Societatis Acta, quorum quinque poſſideo tomos, perlegi, ut multum ipſi eo nomine me debere non poſſim non profiteri, neque vero dubito, quin munus hoc levidenſe æqui bonique ſit conſultura, præſertim ſi a Temet, maximi nominis Viro, oblatum ipſi fuerit. Ceterum dum hoc agis, digneris, quæſo, ternionem, hancce graminum rariſſimorum, bonis omnino iconibus expreſſam, cum laudata Societate benigniſſima communicare. Et certe ſi puſillum hocce ipſi arriſiſſe intellexero, fixum mihi deſtinatumque in animo eſt, utiliſſimorum pariter ac amœniſſimorum, quos in emolumentum litterarum Societas ſuſcipiat, laborum ulterius memet exhibere cooperatorem, & quidem diligentem.

Quod reliquum eſt, in magno id lucro ponerem, ſi quo tempore fieri poſſet, ut plantarum helveticarum, quibus maxime deſtituitur hortus meus ſiccus (alias non contemnendus) aliqua copia potirer, quæ quidem res, ſi Te Promotore uti liceret propenſo, non adeo foret difficilis; aſt vero forte præſtat penitus conticere & obtumeſcere, atque deſiderium hocce devorare, quam enormi petitione in notam incurrere intemperantiæ.

Id tamen ingenue profiteri juvat, nihil omnino mihi futurum prius nihilque antiquius, quam in id incumbere, ut juſſa tua, ſi qua mihi dare volueris, promptiſſime exſequar.

Si fortaſſe aliquando fieri poſſit, ut ubi meum diligens Tibi ſat conſtiterit obediendi ſtudium, in aliquam hujuſcemodi gratiam mihi largiendam ultro ipſe propendeas. Valeas Domine Perilluſtris, & ſoſpes atque vegetus in multos adhuc annos ſublimi ferias ſidera vertice.

Dabam Stokholmiæ d. 16. Nov. 1767.

271.

DE LA CHENAL.

Occupationibus meis ignoſce Vir Illuſtriſſime! quod tardius reſcribam. Eæ ſemper circa novi anni initium mihi ſunt maximæ, & nonniſi incipiente Februario paullulum remittent, ut coactus ſim Te rogare, velis ſi qua ad Opus tuum illuſtrandum me conferre poſſe porro credideris, in illud tempus differre, & tunc quidem ad quavis officia præſtanda, quantum potero, paratiſſimus ero.

Deſcriptio nonnullorum ex America allatorum graminum cum eorum iconibus proximo volumini Actorum inſeretur.

Tam immane pro noſtris regionibus apud nos heri regnabat frigus, ut ſpiritus vini in thermometro

metro Ducretiano heri ad 30. gradum infra congelationis punctum deſcenderit, & videbatur frigus adhuc intenſius fieri, cum hora 6. veſpertina jam $27\frac{1}{2}$ gradum monſtrabat, quod tamen validiſſimo vento ex Oriente nato ſub horam 7. veſpertinam ita mutatum fuit, ut hodie nonniſi 24. grad. obſervaverim, eodem vento durante.

Maximo, quod hactenus apud nos obſervatum fuit regnante frigore nempe A°. 1766. 10. Januar. thermometr. ad $27\frac{1}{2}$. deſcenderat.

Nebula craſſiſſima omnia involvebat heri ad meridiem uſque.

Nudius tertius gradus frigoris erat $25\frac{1}{4}$. Nivis immenſa vis primis hujus menſis diebus cecidit ad $2\frac{1}{2}$ pedes pariſinos, rariſſimo exemplo.

Vale Vir Illuſtriſſime & porro fave.

Dabam Baſil. d. 6. Jan. 1768.

272.

ANTONIUS DE HAEN.

Septennium effluxit, ex quo contra tuum, Illuſtriſſime Hallere, ſenſibilitatis & irritabilitatis ſyſtema calamum acui, maſculo ſane fortique ſtylo: nec mitiore tuam adverſum me apologiam adornaſti: neque diſſimili modo ego poſtmodum meas vindicias. Liti intermiſcuit ſeſe meus quondam, utinam adhuc! clariſſimus Tiſſot, longe indecen-

decentiore profecto ſtylo, in epiſtola ad Doct. Hirzel; ad quam reſpondi gallica mea ad amicum epiſtola, & in annui Operis variis deinceps Tomis.

Lis exinde per me promota vix ultra fuit, ſed per alios, ac præſertim per Cl. Groninganæ Academiæ Profeſſorem, van Dœveren, iteravitque, quæ cum Tuis convenirent quam minime.

Tandem Tu, Vir Illuſtriſſime, ut in indagandis naturæ arcanis & indefeſſus, & verſatiſſimus es, nova experimenta inſtituiſti, quæ profecto quot quantaque ſæpe requirantur experimenta, antequàm ſuis de latebris veritas prodat, nos convicere abunde: ſiquidem ad membranas, atque tendines, qui ob nervorum abſentiam haud viderentur ſentire, attamen ob nervos ſupra infraque ſeſe, eosque haud raro numeroſos, decurrentes, abſolute inſenſiles, dum lacerantur, vulneranturve, nequeunt dici. Sed quantus interim tuus in hiſce candor! quantane ſinceritas! hæc evulgas ipſe, qui in obſervationibus, experimentisque edendis, Viri eruditi ſe gerant oporteat, raro quidem, ſed præclaro doces exemplo; & ad Opus grande tuum illuſtre plane adjicis ornamentum.

Quantoque geſtiveram, Hallere Celeberrime, hoc tuum facinus præclarum univerſo orbi laudare; quo demum ſuæ opinionis pertinaces erubeſcere, ſeque emendare, ad tantum diſcerent, anniterenturque, prototypon! verum enim vero ne hac fruerer voluptate cenſura effecit iniqua:

quæ

quæ anno 1766. omnem horni mei laboris editionem ſuppreſſit, quæque anno 1767. eandem, nonniſi ægre, nonniſi ea lege admiſit, ut omnia, quæ ad inoculationem, ad miliaria, ad irritabilitatem & ſenſibilitatem, verbo omnia, quæ ad modernas quæſtiones vel hilum faciant, ne memorentur quidem. Dies forte eorundem edendorum mihi copiam facit. Ni oneroſus eſſe metuiſſem, integrum ſextum Caput, quod ad Te, Vir ſpectatiſſime, unice ſpectat, adjeciſſem. Capitis hujus teſtis eſſe cenſura poterit; quæ XI^mi^. Tomi, prout anno 1766. adornatus erat, alterum exemplar ſervavit, alterum *non admittitur* inſcriptum, ad me remiſit.

Totum igitur quod nos, Vir Illuſtriſſime! circa ſenſibilitatem diviſerat, abſtuliſti, nosque mutuo reddidiſti concordes: de irritabilitate nos dirimit pauculum duntaxat; ſic ut paucis in eadem permutatis, nos mentis quoque efficere concordis poſſis. Veritati litemur, Hallere præſtantiſſime, veritati impendamus ingenium, vires, otia, occupationes, integrumque! exuta mortalitate unicæ noſtræ deliciæ veritas erit, quam ipſo in fonte hauriemus, æternum contemplabimur. Capite de Hydrope XI^mi^. hujus Tomi, ex hoc ipſo principio, antiquos quosdam, noxiosque publico errores, caſtigavi, correxi.

Vale, & Te colentem, maximeque amantem Haenium, redama!

Dabam Viennæ 1768. Martis 28.

273.

ANT. CAPDEVILA.

Nos vero jam ſæpenumero tuas, Vir Perill. deſideravimus litteras, ſed ſemper me meum fefellit deſiderium, ſiquidem per biennium fere ne perbrevem quidem epiſtolam accepimus tuam. Id evenire judicamus, aut quod Te immanis teneat ποδάγρα, aut magna tuæ Reipublicæ ſuſtineas negotia, quibus oppreſſus maximæ erga me tuæ fuiſti humanitatis oblitus. Avidiſſime tuæ Phyſiologiæ Elementorum V. VI. VII. & VIII. expectamus Volumina, ut in ſuccum & ſanguinem convertamus. Inimici noſtri omnes expertes eruditionis de vi publica damnati, ob morum atrocitatem in Corſicam inſulam. Conſiliarii Regis integerrimi, nemine dempto eorum caput deminuere decreverunt, ſed Caroli III. Hiſp. & Indiarum Regis optimi maximi felicis, generis humani amoris, & deliciarum decreto eorum bona capta fuere. Piqueri Archiatri Hiſpani Praxis priorem & poſteriorem vidimus partem, ſuis Medicinæ inſtitutionibus æqualem. Cl. Michaelis Barnades Regii Botanices Profeſſores Madridenſis Botanices priorem partem anno ſuperiori typis caſtellano dedit idiomate: propediem poſteriorem expectamus partem. Circa Tovarras provincias novæ Karthaginis DCCC. legimus plantas, quarum aliæ officinales, aliæ utrique Hiſpaniæ communes, aliæ vere exteris ignotæ; ſi fidem damus Barnaderio, cui dedimus CCXXXVII. ſemina, ad Cel. Bergium

Bergium Stocolmiæ Botanices Regium Profeſſorem eximium CCXII. miſimus ſemina. Hoc in anno Mathematicorum, Philoſophorum, & Medicorum noſtratum Scriptorum chronologicè conſpectorum fecimus finem, quem eorum ſequetur critica hiſtoria. Nunc in animo molimur diſſertationes, quarum una de Tovarras morbis epidemicis, tempore quo Archiatri fruebamur munere, altera de Excell. & Reverendiſſimi DD. Cæſaris Alberici Luccini, Niſceæ Archiepiſcopi, Clementis XIII. Pont. Max. a latere legati, apud Regem Catholicum morte ſubitanea, IIIa. de Regii Noſocomii Madridenſis rebus geſtis a die XVIIII. menſis Februarii ad VIII. Martias uſque pro muneris praxis medicæ petitione, in qua binac diximus ſtationes, una de Sent. II. Sect. II. max. Hippocratis latina, altera de ægroto, hiſpana. Vale Vir Illuſtr. Helvetiorum decus & ornamentum maximum. F. Graſſetum amicum noſtrum plurimum meo nomine ſaluta; Tui amantem redama.

Nonis Aprileas cIɔ Iɔcc LXVIII. Madridæ.

274.

PETRUS JONAS BERGIUS.

Non me feſellit indubitata illa, quam de inſigni humanitate tua, Celſe Vir, conceperam, ſpes atque perſuaſio. Et numquid non talia expectare oportebat a Viro in ſublimi loco poſito, eodemque cum ingenii magnitudine, tum animi alti-

altitudine inclyto, verbo, in quo omnia ſumma? Mearum viciſſim erit partium tantam bonitatem gratiſſimo ac venerabundo ſemper exoſculari animo, omnique pariter impetu in id incumbere, ut quo unquam potero pacto plantas pro Te comparem ſeptentrionales, aliasque quas tuo quodammodo convenire deſiderio cogitem. At vero dum jam ſeligam ſeptentrionales illas, quas dictione prorſus generali poſtulaſti, plantas, id ipſum non niſi cum ſcrupulo ac hæſitatione quadam facere poſſum, quippe qui neſcio an auſim vulgares illas noſtrates in eundem cenſum referre, vel annon illas potius ut a Te contemnendas reſpiciam. Utinam Tibi placeret huncce mihi ſcrupulum data occaſione tollere. Interim tamen quia lapponicas, ut meo judicio rariſſimas, ita maxime Tibi quoque acceptas atque complacitas fore autumavi, earum omnium collectionem hacce æſtate faciendam jam pridem injunxi amico cuidam meo, ibi terrarum nunc degenti, neque vero dubito, quin is negotium hocce ſtudioſe diligenterque curaturus ſit. Quamprimum autem ego iſtius collectionis particeps factus fuero, quod tamen hoc anno vix fieri poterit, eam abſque ulla mora ad Te, maxime Vir, transmittam, & quidem totam, niſi interea aliter Tibi placuerit ordinare.

Neſcio, quibus verbis depredicem affectum iſtum maxime benevolum, quo auctor florentiſſimæ Societati litterariæ Helvetiæ fuiſti, ua me, tametſi parum merentem, in ordinem ſuum reciperet. Sane eximius hic tuus erga me favor omne

omne viciſſim apud me commovebit ſtudium quamlibet arripiendi occaſionem, qua poſſim cum Tibi, tum laudatæ Societati, prolixiſſimam meam voluntatem infixumque animo obſequium probare. Atque ne ασυμβολος vel hacce jam occaſione accedam, mitto una cum epiſtola ad almam Societatem gratiſſimi mei erga eam animi qualicunque interprete, novum, etſi tenue, obſervantiæ meæ monumentum, delineationem nimirum plantæ novæ americanæ, brevemque deſcriptionem, & vero ideo Tibi, Illuſtriſſime Vir, hiſce rebus moleſtiam facio, ut acri tuo primum ſubjiciantur judicio, atque ſic, ubi in iis aliquid inſit boni, cum efficaci tua commendatione ad Societatis oculos perveniant gratioresque evadant. Ceterum quoniam a Profeſſore Göttingenſi Dno. Beckmanno nuperrime accepi brevem catalogum nonnullarum plantarum, quas Te ſpeciatim deſiderare dicit, mitto jam illico paucas, quæ in præſentia ad manus ſunt, de reliquis etiam comparandis, quoad potero, maxime ſollicitus futurus. Interea temporis hiſce valeas, Generoſiſſime Domine, juſtoque longiorem hujus meæ epiſtolæ moram non tam mihi tribuas, quam plantæ annexæ pictori, qui enormi pigritia ſua me nimium quantum laſſavit & pene eluſit. Sum ſemperque ero S.

Dab. Stokholmiæ d. 11. Julii 1768.

275.

ANT. DE HAEN.

Tranſcriptam epiſtolam meam tandem curante, ut perhibent, illuſtri *Werlhofio*, typis excuſam, Germania vidit. Vidiſti in illa, quam contentus, quam lætus de Cicutæ invento, fecerim, auxerim, urſerimque experimenta; aliter, quam ferebatur, rem ſe habere non poſſe perſuaſiſſimus. Attamen poſt propenſam adeo in inventum voluntatem, poſt iterata ad uſque nauſeam experimenta, aſſerere auſus ſum, aſſerere debui, veri ineſſe illi nihil, & nedum prodeſſe, verum etiam cancroſarum fata accelerare, aliasque gignere calamitates. Neque id eloquor ſolus. Plurimis in Europa plagis clari Viri privatis id confirmant, publicisque teſtimoniis. Et adhuc nuperrime Londinenſis quædam Medicorum ſodalitas opus edidit patrio ſermone; quod, poſt fideliſſima experimenta, eandem tulit de Cicuta ſententiam. Tuleratque dudum alius Anglus, qui in noſocomio Londinenſi omnia illa experimenta fecerat, omnesque demonſtraverat caſus, quos editi de *Cicuta* libelli continerent.

Quæ egregius *Lucas Misley*, a ruſticis alpinis edoctus, mecum de *Uva Urſi* communicaverat, hæc eadem, qua ille, patientia, eodem, quo ille, animo, exploravi, veraque dixiſſe *Misleyum* deprehendi. Haud omnibus quidem, ſed multis, calculo, aliisque veſicæ incommodis laborantibus, opitulatur efficaciter.

Colchici

Colchici autumnalis . . . hiſtoria eſt, nihil poſſidens veri. Nota omnibus eſt theſis inauguralis, quam *Francofurti ad Viadrum* Exp. *Kratſchvill*, poſt vim experimentorum maximam, defendit.

De *Stramoneo* apud ipſos ejusdem patronos ſummum ſilentium eſt, ex quo publica Maniacorum & Atrabiliariorum experimenta fefellere.

Iisdem experimentis Maniacorum publicis laus *aceto* atque immerito data eviluit.

Numeroſa experimenta cum mercurio ſublimato ſoluto in ſpir. frum. inſtituta, primum quidem haud modicam remedii fiduciam conciliaverant, veluti ad luem Veneream radicitus extirpandam tutiſſimi, certiſſimi, promptiſſimi, commodiſſimique: experimenta autem poſteriora, eaque numeroſiora prioribus hanc fiduciam multum imminuerunt, & rarius curans, quam pallians, remedium eſſe clamitant. Nunquid prioribus in experimentis vis morbi minor faciliorem curam admiſit? An Panchymagogum purgans, ſingulo datum quatriduo; an libræ duæ decocti ſive lignorum ſive Bardanæ cum Glycirrhiza, quotidie cum lactis æquali copia epotæ, quo toto tempore ſublimatum potabatur, ad benigniorem luem curandam plurimum contulerunt.

Polygala Virginiana, ob vires in inflammatoria diatheſi humorum inque phthiſi, Anglicanis Indiæ occidentalis Medicis celebrata, egregium *Sauvagium* eo induxerat, ut Polygalam vulgarem,

floribus criſtatis racemoſis, caulibus herbaceis ſimplicibus procumbentibus, foliis lineari lanceolatis, plantam Galliæ, noſtrarumque regionum incolam, Americanæ defectui ſupplere poſſe crederet. Spe phthiſicos, ulceroſosque fortunatius curandi allectus, in hujus virtute exploranda multus fui, ſpe autem fruſtratus deſtiti; aliorumque decantatas curas examinans, hinc una plantas alias, & lac, & mel, exhibita fuiſſe; illinc morbum mitigatum potius, quam ablatum, intellexi.

Elixir vitriolicum Pharmacopææ Londinenſis recentioris, Anglis in curanda phthiſi in cœlum ferentibus, modeſte obſtiti, ob collatam cum genio morbi auxilii naturam. Honeſta reſponſio fuit: theoriam praxi, experientiæque cedere debere; quin & numerum experimentorum adjunxere ingentem. Fidem igitur Viris probis adhibendam eſſe, ratus, pauciora principio, ſenſim numeroſiora experimenta cepi: idque eo cum ſucceſſu, ut neſciam, an unquam remedium in phthiſi extiterit præſtantius. A guttis X. bis die in vitro aquæ datis, in duplum, triplumque bis die paulatim auctis, curas multas vidi, obſtupuique; cum citra incommoda, citraque febrim, levi cum tuſſi, facili cum excreatione, læti, vegeti, vitam ſuam plures hucuſque tranſigant. Utinam in novis inventis plura hujus exiſterent conſimilia! multis profecto ægritudinibus mederemur efficacius; neque toties contingeret, ut, dum blande atque amice, ex officio, autores novarum rerum de inutilitate, imo & de nocumento, cujusdam

jusdam inventi monemus, calumniis inundaremur, nec rei criminis haberemur, non alienæ laudis invidi, propriæque duntaxat ſtudioſi audiremus, neque vexationes perſecutionesque tantas ſuſtinere deberemus.

Viginti & quod plus eſt, effluxere anni; quod Cl. Viri *Franciſci Solani de Lucque* placita de pulſu dicroto, inciduo, & intermittente, cum claris Hagæ Batavorum amicis examinaveram; eaque haud minore cum diligentia Viennæ fueram proſequutus: jungoque hiſce aſſerta clariſſ. Virorum *Bordeu*, *Martin*, *Camus*, *Menuret*, circa pulſus ſuperiores, inferiores, nec non horum ſubdiviſiones. Ad lectos ægrorum integra diſcipulorum turba, in eaque complures, qui jam aliquot annis ſuam in explorandis pulſibus induſtriam, aptitudinemque monſtrarunt, quotidie omnes has minutias mecum rimantur, integramque haud raro terimus hoc examine horam. Sed necdum nobis hæc arcana patent, aut ſaltem digitos nondum poſſidemus ad illa detegenda ſufficienter muſicos. Nec deſiſtimus ideo, ſed proſequimur ſeduli, proſequuturi ad uſque ferias majores. Sic demum & Auſtriaca juventus, multique ex univerſo imperio, & complures Medici juniores Angli, Itali, Galli, &c. qui mea collegia frequentant, propria experientia diſcent, quid de ſingulari hac doctrina ſtatuendum inpoſterum ſit.

De variolarum inſitione plura hic addenda haberem, quæ ingrata non forent, ſed ſatis Te,

Vir Inclyte, hac vice moratus ſum. Vale & in Tuis me habe. Vale, & perge me amare.

Dabam Viennæ 20. Julii 1768.

276.

NICOLAUS BARTOCCINI.

Ne mirere Vir Clariſſime hominem locorum intervallis abs Te longe remotum, nulla adhuc in Litteratorum rempublicam fama, nulla nominis claritudine inſignem, Tibi his litteris moleſtiam creare decreviſſe, conſtituiſſeque conſilium, ſententiamque tuam in re magni momenti medica expoſcere, flagitareque. Tanta quippe eſt ubique gentium doctrinæ exiſtimatio, tanta judicii cum in ſcientiis omnibus, tum autem in noſtra facultate virtutis opinio, ut jam non dubitemus, eſſe ex incredibili pariter humanitate tua, quod eos æquo feras animo, qui in dubiis, anxiisque diſputationibus, ut tuam cognoſcant ſententiam, Te ex optimo, quod litteris immortali hominum beneficio impendis, otio tantiſper abripiant, ut tandem, quid ſit in rebus medicis ſentiendum, ex tuo ipſi judicio concludant, errorem in ea minime veriti ſententia, quam immortalis Hallerus ſuo ſuffragio confirmavit. Ut enim in Europa omni, ita potiſſimum hic in Etruria, quo medicinæ ſtudia abunde florere D. O. M. beneficio gratulamur, ita nomen tuum eximium ſuſpicitur, ita Opera doctiſſima, quæ publici feciſti juris, Sapientum

Sapientum manibus teruntur; felicia, quæ in noſtram artem feciſti, inventa laudantur, mirantur, docentur, ut jam non dubitem modum impoſitum iri non ſolum controverſiis omnibus, ſi quid ipſe in cauſa ſentias, protuleris, verum ſummo omnium plauſu excipiendum eſſe a doctis quibusque judicis opinionem, quæ Hallerum celeberrimum nacta ſit patrocinatorem. Ac ſi quid in tuis egregiis libris, quod directe ad ipſius concluſionem ſpectaret, offendiſſemus, neque fortaſſe ſententiarum varietati eſſet, neque aliunde, quam ex graviſſimis tuis poriſmatibus eſſet definienda. Jam vero fas ſit admiratori, lectori, diſcipulo propoſito themate ſummi Hominis, Auctoris, Magiſtri doctrinæ delectum percontari.

Quum in hac Regia ſcientiarum Academia propoſitum eſſet exponere, quid in cauſa ſit, ut ex capitis vulneribus in hepate abſceſſus ſuboriantur, ageretürque de ejus periculi præcavendi rationibus, ne damno torqueantur, qui infelicibus iis ictibus caſu ſunt obnoxii; vehementer de ejusmodi phyſiologico phænomeno diſputatum eſt, præſertim cum ego in divino tuo phyſiologico Opere legiſſem, Te aſſerere rem adhuc nobis eſſe ignotam. Ac quamquam minime ignari eſſemus, non in hepate modo, verum & in aliis viſceribus ejusmodi abſceſſus ex ea cauſa gigni conſueſſe, tamen propterea quod frequentiora eſſe, quæ circa hepar ſunt, ſymptomata, conſtet, hoc unicum illuſtrandum Academia ſibi propoſuerat. Jam vero cauſas inquirentibus nobis non novæ certe

quæſtionis, quæ ut noſti, a Johanne Riolano filio, Petro Pigræo, Paræo, Ballonio, Stalparto Van der Wiel, Academia Bononienſi, Bertrando, aliisque permultis tradita, atque agitata, luce non caret doctrinæ, non unicum ſuppetebat explicationis ſyſtema. Ego, quod ei rei animum vehementer intendiſſem, non recedere initio conſtitueram ab clariſſ. Virorum Molinelli, Joannis Bianchi, potiſſimum vero Morgagni celeberrimi ſententia, quem Tecum perdocte Hallere, ut ſtudiorum ornamentis, tamen dignitate, ita amicitiæ fœdere conjunctum Italia, imo quocumque Litteratorum noti ſunt labores, noverunt omnes, tantis ſcilicet auctoribus videbatur, nihil ſupereſſe, quo enunciatæ quæſtioni abunde eſſet ſatisfactum. Compertum Tibi eſt Vir Clariſſime (quid enim ad medicam artem præſtans non Tibi eſt plane perſpectum?) hos ita cenſere, reabſorberi nimirum per inhalantia capitis vaſa, utpote abundantiora, copioſioraque ea, quæ cranium ſerpent, ſicuti Schreiberus docet in Actis Academiæ Petropolitanæ, purulenti humoris portionem; hanc in communi humorum maſſa cum ſanguine circumagi, donec in hepate ſibi veluti figat ſedem, inibique conſiſtat, in eo nempe viſceris genere, quod cum a ceteris ſingulari quadam diſcrepet conſtitutione, tum promptius ſit ad leſivæ cujusvis ſubſtantiæ ſuſceptionem, quæ cetera corporis primum organa infecerit. Tuis namque ex luculentiſſimis phyſiologicis Elementis dicimus, ita eſſe comparata vaſa ea, quæ hepaticis functionibus deſtinantur, ut cum major pars venoſi generis

neris ſit, cumque ob innumerabiles eorum ramificationes in ejus ſubſtantia ſumma luminum ramorum longe vehementer lumen trunci ſuperet, ſanguinis in ipſis contenti motus eo magis ſemper tardari debeat: quare elaſtici & ſyſtaltici niſus defectu facilius ſint in vitium defectura. Inde vero ſequitur fluida utpote craſſiora, atque ad motum inertiora, ob impulſivi motus longius intervallum impuritatem eo facilius depoſitura. His accedit puris indoles, quam ad bilis naturam analogiorem eſſe tum ſpecifica gravitate, tum conſtituentium partium quadam veluti ſimilitudine, ex hydrometricis a me inſtitutis experimentis, atque ſæpius repetita analyſi manifeſte deprehendi.

Verum cum Operum tuorum, & præcipue phyſiologicorum aſſidua lectione, quæ perpetuo duces me habere glorior, quæque haud æque commendare quis poſſet, uti promerentur (neque enim Medicum eſſe arbitror poſſe doctum, qui ea quotidie non meditetur) jamdiu eximium illud ſyſtema compererim, a Te tanto plauſu in medicinam invectum, & rurſus illuſtratum a Cl. Thierry, metaſtaſes univerſas & variorum extraneorum corporum motus per celluloſam texturam frequentiſſime fieri, id deinde ſuſpicatus ſum, cauſam eſſe poſſe, ut vetere exponendi ratione prætermiſſa nova hæc ineatur: atque ex præſtantiſſimo Hallerio concludere celluloſum textum in cauſa eſſe, ut ejusmodi quoque metaſtaſis ex vulneribus capitis in hepate derivetur, vel præſertim cum animadverterim metaſtaſes plerasque in ſuperficie cordis & brachiis oriri, quas profecto non

niſi ex texturæ celluloſæ ſyſtemate originem capere neceſſe eſt. Verum non diſſimulabo Vir Sapientiſſime, mihi id ipſum conſideranti, negotium ſane faceſſere, quod fere conſtanter in hepate abſceſſus fiat: exinde enim ſponte ſua proficiſci videretur, æque in eo, atque in ceteris viſceribus ejusmodi abſceſſus fieri indiſcriminatim oportere: quod ſane illuſtris ſyſtematis abs te tanta felicitate detecti in ea quæſtione, quam intuli, ſequelas plane ſuſtolleret.

A Te itaque Vir Clariſſime majorem in modum flagito, ut quid hac de re ſentias, quidve mihi ſentiendum ſit, humaniſſimis docere epiſtolis non graveris. Quod eo fidentius me aſſecuturum confido, quas norim, imo vero quid ego? quum norit Europa univerſa, quam libenter operam tuam publicis etiam diſtentam, graviſſimisque negotiis, litteris, ſtudioſisque hominibus impendas, quamque Tibi gratum ſit, ex fœcundo tuæ doctrinæ penu, ea ſubminiſtrare, queis hominum genus, damno, moleſtiis, ægritudine, artibus noſtris relevetur. Atque utinam mihi, quemadmodum litteris, ita coram Te viſere, audireque, atque erudiri tua ſapientia liceret! quod tamen a me factum iri cito non deſpero, tanta quippe tuorum meritorum afficior caritate, ut dignum unum Hallerum exiſtimem, cujus viſendi gratia diuturnæ peregrinationes ſuſcipiam. Mihi ſcilicet florenti ætate medicis diſciplinis tradito nihil illuſtrius, nihil ad ardua tentamina glorioſius fuerit, quam Hallerium noviſſe, ejusque in

me

me amicitiam, officium, voluntatem eſſe promeritum. Vale.

Senis Hetruſcis die 5. Auguſti 1768.

277.

de LA CHENAL.

Ab itinere aliquos hebdomadum paucos ante dies domum reverſus ultima Enum. tuæ folia cum iconibus, titulis &c. interim a Te benevole transmiſſa maximo cum gaudio accepi, proque iis ſummas Tibi gratias ago.

In eo itinere minime aliâs botanico planta mihi allata eſt in Sundgovia prope Befort lecta, antea mihi non viſa, veriſſima Joh. Bauhini & Vaillantii (forſan & Cranzii) Carvifolia a Selino tuo 802. diverſiſſima, ut potius ad 801. accedat.

Radicem non vidi. Caulis fere bicubitalis, erectus, brachiatus, fere teres vel obiter ſaltem ſtriatus, glaber, viridis; folia radicalia & caulina inferiora Carvi foliis ſimilia, perinde circa coſtam decuſſata &c. Involucrum partiale nonnullis ſetaceis foliolis fit, ſæpius ægrius conſpicuis, unde forſan Cranzio plerumque nullum viſum fuerit. Cetera, ut brevis ſim, ex ſpecimine patebunt. Doleo me neque umbellas ſatis explicatas, neque ſemina neque radicem vidiſſe.

Comparanti J. B. deſcriptionem facile patet, de noſtra planta eum dixiſſe, neque repugnant loca

loca natalia ab eo indicata & ab ejus temporibus hactenus a nullo Botanico adita, cum 802. equidem Montbelgardi legerim, ſed loco a dictis valde remoto. Chabræi iconem Cranzius citat, ſed nunc iſte liber non eſt ad manus. Poſtquam hæc ſcripſeram, librum hunc apud amicum evolvi. Rudis icon, ſed noſtram plantam haud male exprimit. Icon Vaillantii plantæ noſtræ perfecte reſpondet.

Si quas etiam alias ex noſtris ſtirpes deſideraves, una cum dicta Carvifolia mittere poſſem.

Vale Vir Illuſtriſſime & amare perge.

Baſil. 17. Aug. 1768.

Bibliothek
H. E. Sigerist
No. 2800.
Dat. Pr.